HISTO

RIA PERSECVTIO

nũ, quas in Aphrica olim circa

D. Augustini tempora,

Christiani perpessi

Sub

Genserycho & Hunerycho

Vandalorum regibus.

Cui inserta pũlcra Eugenii Carthaginensis episcopi Confessio fidei atq; sanctę Trinitatis.

Item, Alia Rebaptistarum, opiniones redarguentia.

Autore beato Victore Episcopo patrię Uticensis.

Colonię apud Eucharium An. 1537 mense Aug.

625

Dan nobiscum est nec in re avu
tanq quatenus beatus, cui remissa
peccata, canit psalmus 32 ✝.

Inhalt:

1., historia persecutionum, quas in Aphrica
olim D. Augustini temporibus Christi-
ani perpessi autore C. Victore episcopo
herausgegeben von Reinhard Lorich.
Colon. 1537.

2., Draconites, evangelia de Christo. Marp. 1537.

3., epistolae quaedam piissimae et erudi-
tissimae Joh. Huss Witt. 1537

4., Urbanus Rhegius, fulmen in votariam
monasticen. Magdeb. 1537

MAIORVM

SIMVL AC LITERARVM ORnamentis nobilitato Satrapæ D. Ebberhardo a' Dann, arcis Wartburgicæ, nec non Isenachensis urbis illustri præfecto, Domino suo plurimum colendo Reinhardus Lorichius Hadamarius S. D. P.

Cio, uir clarissime, te ualde miraturum, quæ causa fuerit, cur ego, cui necessitudo uel aliqua tecum non intercedat, hanc Africanæ persecutionis historiam, à tinearum, quibus arrodi uidebatur, iniuria uindicatam, uoluerim sub auspicio tui nominis, in publicum prodire. Atqui satis amicitiæ (si pateris) contractum arbitror, ex communibus artium liberaliũ studiis, quæ maxima necessitudinis uincula Cicero prædicat. Insatiabili tu bonarum literarum amore teneris, & ego

ego,ſi non pari,tamen qualicũ q;. Quæ ſi for ſitan ut leuioris momenti cauſa queat eleuari,ſuccedent aliæ,quæ calcar addiderunt, & quibus ad audaciam, ipſe tu feneſtram aperuiſti. Etenim teipſum neges,aut tot animi dotibus expolitum exuas oportet,ſi à cultoribus humanitatis,obſeruari et impenſe coli nolis. Sed ut idẽ maneas, & nolens uolens teipſum perferas,neceſſe eſt,ita hoc, tui ſtudioſo faueas,non iniquum erit. Autoritate ſumma præditi uiricomplures,tuam encomijs mihi non fucatis uirtutem, optima diſciplinarum fruge redimitam prædicauerũt,ut omnino barbarus haberi poſſim, ſi de bonis literis optime merito tibi qualibuſcũ q; ſcriptis nõ oſtendero,quanto, ſtudiorum ac uirtutis cauſa, te uel amore uel officio proſequi debeã,digniſſimum, quem ſtudioſi certatim omnes aſſerãt dignum(ut aiunt)obeliſco, καὶ ἄξιον τῦ παντὸς. Quicet iſta re modeſtiam tuam magis offenderint,quàm gratum tibi fecerint, uera tamẽ aſſertione profiteri poterunt: Felicem illũ principẽ,qui plurimos tui,ſimul ac D. Rodolphi Schenck in Suueynſzbergk prudentiſſimi uiri,ſimiles habuerit Neſtoras, hoc eſt,ſapientiſſimos uiros,magis intelligentia rerum diuina, & egregio doctrinarum fructu, quàm

prouectioris ætatis experientia, florentibus annis non conueniente, nobilitatos. Et fortunatam Germaniam, si cæteri nobiles omnes, exemplum ueſtrum imitati, bonas literas, ac uirtutum ſtudia proſequerentur, fauore paulo maiore, quàm uenationum nimiarũ, pomparum, ac compotationum certamina. Sed, ut in primis tu raro, ueræ nobilitatis ornamẽto præfulges, ita rarum hoc, non ubiq; uiſum hiſtoriæ monumentum, tibi dicandum exiſtimaui, uirtute tua dignum, in præſentiarũ arbitratus μνημόσυνον. Complures alias rerum geſtarum expoſitiones habes domi, ſed hanc nondum. Quæ tempora illa duriſſima, circiter annum dñi. CCCCXXX. complectitur, quibus effera gẽs Vandalorum, ab Hiſpanijs in Africam tranſiens, ab initio non ſolum armis ac flammis uaſtauit omnia, ſed etiã Chriſtiano ſanguine conſpurcauit, & Arrianorũ epiſcopi crudelius, quàm rex impius, & Vandali ſæuierunt. Illius igitur beneficio res bibliothecæ tuæ iam accedẽt complures, lectu dignæ, & obſeruatu plurimæ. Videbis, quãto olim Chriſtiani feruore domini uerbũ amplexi, & non ore tantum profeſſi ſint, ſed factis omnibus, ac ſanctis operibus ad amuſſim expreſſerint. Non eñ, ſicut hodie uidemus fieri,

cum admiratione primum, ac gaudijs accepe runt, mox diuitiarum, gloriæ & uoluptatum humanarum præſtigijs eluſi, deſpicatum habuerunt, ſed diuino fauore partam margaritam iſtam precioſam, uniuerſæ totius orbis claritati præferre nõ dubitarunt. Nec ad tempus credentes, in afflictionum temporibus receſſerunt, ſed potius in orationibus, ieiunijs eleemoſynis, ſiti, fame, laboribus, lachrymis, uerberibus, carceribus ac periculis frequẽtes fuerunt, ac fortes perdurauerunt, ut manibus admotis aratro nunquam reſpiciendo, fierẽt apti regno Dei. Quotus autem quiſq; noſtrũ eſt, qui procellis aduerſitatum ingruentibus, non reſpiceret? Atqui hoc in libello, uaria, nõ emortuæ, nec in ueſtibus aut lingua ſolũ poſitæ, ſed uiuacis & operibus ſuis undiq; ſanctis exp̃ſſæ fidei leges exẽpla, miraculis dei plurimis cõfirmata. Cõtẽplaberis egregia Chriſti martyrũ tyrocinia, quorũ alios Alleluyaticũ (ut cum Victore loquar) melos canendo miſerabiliter interemptos, alios candentis ferri laminis exuſtos, alios per plateas raptos, uel ab equis furioſorũ ꝓculcatos, uel àtortoribus crudeliter dilaceratos, alios incendijs concrematos, alios fœtido cœno, aquis marinis, amuſca, aceto faucibus inclemẽter infuſo ſtrã-

gulatos & enectos, alios alio atq; alio mortis horridioris genere trucidatos. Obseruabis presbyterorum, diaconorum, subdiaconorũ, ac uirginum sacrarum & monachorum ordines, à Christianis habitos in precio, & cœnobia abiis culta, qui corporalia membra Christo dedicassent, non humano, sed spõsi Christi coniugio deuincti. Cognosces, quibus ira diuina supplicijs afficerit eos, qui populũ insontem afflixissent, & qui templorũ ornamenta rapuissent, &, ut ipse Victor ait, de palliis altaris sibi camisias & femoralia fecissent. Cõsiderabis ecclesiasticos thesauros argẽteos uel aureos aliquando distractos, sed non nisi necessitatibus summis urgentibus, ut ad Christianos captiuos, in pristinã libertatem asserendos. Postremo recreaberis pijssima catholicæ fidei, ac S. Trinitatis confessione, quã multi cruore suo sanciẽtes, expleto certamine, coronam ad immarcessibilem peruenerunt. In quibus omnibus studia pietatis, & potissimũ imitatu dignissima dogmata perpendes, non requisiturus, oratorijs blanditijs arridentem, aut fuco pigmentatã dictionis phrasim, quam è tuo, si libeat, librario thesauro poteris depromere. Porro noster in ea tempora Victor incidit, in quibus lugendi & grauissima patiẽ-

di, non libros circumferendi, aut cultioribus literis operam nauandi, facultas fuit oblata. Quod si, autore Cicerone, Leges inter arma silent, quanto magis tyrannicas inter furias politioris literaturæ studia conticescunt? Verumtamen à latinitate pura, non tam alienus existit, ut ab hominibus mei ordinis atq; loci iure debeat aut possit eleuari. Quapropter ea humanitate, qua amicos & doctrina & sanctimonia conspicuos soles, S. Victorem hospitem excipe, quem ist huc mittēs, ego sum precatus, ut intercedendo roget, quò me simul, non in amicorum, sed in clientelarum tuarum numerum recipere digneris.

Bene uale,

Marpurgi, Kalendis Septembribus

Anno.

1537.

Ea quę sequuntur tertium Victoris librũ, insecuta, quartũ fecerunt, sed huc trãslata sunt, partim, vt ad tertium, in quo fit huius prędentis historię mentio, librũ vẽturus, cognitũ habeas id, quod eodẽ finito sequebatur, partim vt hic vel vnica lecta pagina, statim accipias specimẽ constantię, qua fortes Christi martyres in historia sequenti, mortem oppetere maluerunt, quam a Christo reuelli.

PASSIO SEPTEM CHRISTIANORUM fratrum.

PRædicaturus triumphos beatorum martyrum, ad enarranda, quæ gesta sunt, auxilium exposco diuinũ, ut qui illis præstitit superandi victoriam, mihi indigno & immerito, quantulacũq; uerborum porrigat ornamenta. Tũc etenim ualebo, quæ desiderata sunt, indicare, si ipsi dignantur pro me misero, domino supplicare. Septimus namq; agebatur annus crudelissimi atq; impijssimi regis Hunerychi, & ecce antiquus hostis ueternosus utiq; anguis, trisulci lingua uenena uibrans, Cyrillo quodam Arrianorũ episcopo ministro usus est, subuertens & obtinens animũ regis cruẽti, ut ita suaderet, non posse eum pacatum atq; longæuũ obtinere regnum, nisi nomẽ perderet innocentum. Qui tamen dei iudicio post non multos dies, turpissima morte præuentus, scatens uermibus expirauit. Insectari cœpit ore cruento omnem catholicorum multi

tudinem, quæ per totam prouinciam Africanam, in modum (sicut prædictum est Abraæ patriarchæ) harenæ maris fuerat multiplicata, ut etiam rebaptizationis sauciaret machæra, atq; stolam illam singularis & puri baptismatis, quam Christus uino suæ carnis purificans, prælo exprimens crucis, fecerat dealbatam, tetræ nigredinis turparet illuuie sordilenta. Accipiens quoq; tyrannus, ut erat docilis & ferus, serpentinam suggestionem, feralibus edictis uno tempore totam cœpit Africam cõmouere. Primo sacerdotũ & ministrorum copiosissimam & maximam turbam, in lõginquas & extremas regiones exilio crudeli detrusit. Quibus bis acutũ genus frumenti (quod iumentis solum edere concessum est) nequaquã industria molarũ, sed manente furfuris cortice, loricatum, pro miseratione dari præcepit. Postea uero crescente impietatis insania, etiam hoc auferri crudelissimus imperauit, post modicum quoq; tẽporis uniuersas simul ecclesias, præiudicatis uenerabilibus portis, cementis ingentibus claudi mandauit. Vniuersa namq; monasteria uirorum uel puellarum sanctarum gentibus, id est, Mauris, cũ habitatoribus donari præcepit. Vnus fuit omnibus eiulatus, unus

pro Christo moriendi integer & plenus affectus. Paria currebāt flumina lachrymarū, quia promiserat dominus cibari eos pane lachrymarū, & potari eos in lachrymis in mēsura, aut forsitan sine mensura. Etsi reperta est exiens de arca, inhiās cadaueribus mortuis, pars aliqua pereuntium coruorum, maior est tamen in nomine trinitatis numerus felicium columbarum. Quanti nobiles & optimi uiri, ampli & lati cespitis domini terram cælo cōmutauere, & simul corpus cū substātia tradiderunt, atq; delicatæ & nobilissimæ fœminæ, contra uerecūdiam naturæ, spectate uulgo, uirgis cæsæ, uariisq; tormentis cruciatæ, uictoriæ trophæa portarunt, quāti infantuli irridentes edicta feralia ante mundū contempsere, priusquā in illecebrosam eius semitam introirent? Tunc apprehensi sunt septem fratres, qui tum ad concordiam dominicæ seruitutis in monasterio habitantes in unum, quia bonum est & iucundum habitare fratres in unum, id est, Bonifacius diaconus, Serus subdiaconus, Rusticus subdiaconus, Liberatus, Abba, Rogatus monachus, Maximus monachus. In numero scilicet Machabæorum, quos una mater Ecclesia catholica genuerat, & per uiscera fontis æterni sa-

lubriter pepererat, de territorio Capsensis ciuitatis, cui præfuit sanctus Vindemialis sacerdos egregius, & Christi fidelis antistes. Qui acti ad urbem Carthaginensem, primo eis illecebrosis blandimentis serpens uoluit sibilare, promittens honores caducos, & diuitias, ingentium uoluptatum necessarias, & regis amicitias, uel alia multa, quæ solent insipientium animas, aucupante diabolo uisco mundiali, captare. Sed hæc oia milites Christi ac si contagia respuerunt, clamantes uno ore: Vnus deus, una fides, unum baptismū: Nec poterit in nobis, adiuuante domino, iterari, quod in sancto Euangelio præceptum est dari: Quia qui semel lotus est, non habet necesse iterum lauari, quia mundus est totus. Facite quod uultis, inferte pœnas corporibus nostris, melius temporalia admodū sufferre supplicia, quàm æterna pati & subire tormenta. Habete quod promittitis, cum ipsis diuitijs post paululum perituri, nobis uero nullus de postibus fontium ualebit euellere, quos in uno baptismate artifex Trinitas dignata est titulare, Quid multa? Dum tali cō stantia diuinitus munirentur, iussi sunt carcerali custodia mācipari. Et ita crudelius arcta ti ferri ponderibus, tenebrosis deputati sunt

locis, ubi nulla miseratio arrideret lenitatis. Sed populus iste memoratæ urbis in domino semper fidelis, dato munere carcerarijs, die ac nocte Christi martyres frequentabat, & ita ab eis doctrina & uirtute fidei roborati, ut talia etiam ipsi pro Christi nomine plena delectatione ferre cuperent, & capitulo persequenti facile supponerēt colla. Hoc aūt tyrannicas peruenit ad aures. Qui ebrietate furoris accensus, iubet eos inauditis supplicijs adigi, & maioribus uinculis onerari. Nauemq; imperat lignorum aridorum manipulis adimpleri, atq; in eadem omnibus alligatis, in medium pelagus, igne suppositō, cōcremari. Eductisq; illis de custodia, multitudo populi dei, bellatores Trinitatis, quasi agnos innocuos, ad uictimam deducebat, & rugientium pondera catenarum, quasi quædā monilia præuidebat, quia non fuerunt illa uincula, sed potius ornamenta. Incedebant itaque cum fiducia ad supplicium, quasi ad epulas concurrentes, una uoce per ambitus platearum domino decantantes: Gloria in excelsis deo, & in terra pax, hominibus bonæ uoluntatis. Votiua certe nobis hæc dies est, & omni solennitate festiuior. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies est salutis, quan-

do pro fide domini dei nostri, pferimus prę-
paratum supplicium, ne amittamus acquisi-
tæ fidei indumentum. Sed & populi publica
uoce clamabant: Ne timeatis populi dei, neq;
formideris minas atq; terrores præsentium
tribulationum, sed potius moriamur p Chri
sto, quoniodo & ipse mortuus est, redimens
nos preciolo sanguine salutari. V nũ tantum
uehemẽti conatu, qui inter eos infantulus ui-
debatur, nomine Maximum, cupiebant auto
res malorum, à sanctorum consortio separa
re, dicentes: Infantule, quid festinas ad mor-
tem? dimitte eos, insaniunt. Sed audi consili-
um, ut possis inuenire uitæ remedium, & tan
ti regis adire palacium. Tunc ille, ætate qui-
dem puerili, senili tamen maturitate clama-
bat: Nemo me separet à sancto patre meo Ab
bate, Liberato & à fratribus meis, qui me in
monasterio nutrierunt. Cum ipsis sum in ti-
more dei cõuersatus, cum ipsis desidero pas-
sionem sustinere & suscipere, cũ quibus cre-
do me & futuram gloriam inuenire. Nolite
putare quia poteritis seducere pueritiã meã.
Simul nos dominus septem uoluit congre-
gare, simul dignabitur omnes uno marty-
rio coronare. Quomodo nemo potuit peri-
re de septenario illo numero felicium Ma-

chabæorũ, ita etiam septenus numerus nostræ congregationis, nullum inueniet detrimentum. Nam si negauero eum, & ipse negabit me, quoniam ab ipso dictum est: Qui negauerit me corã hominibus, negabo & ego eum corã patre meo, qui est in cælis. Et qui me confessus fuerit coram fratribus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in cælis. Educti itaq; cum festinatione ad nauale supplicium, pro uoluntate infandi regis, uel crudelium ministrorum, extensis manibus & pedibus eleuati potius ferũtur, quàm ligati. Quo dum ignis fuisset lignis iniectus, statim imperio diuino, uidẽtibus cunctis, extinctus est. Et dum sæpius renouaretur nutrientibus stipulis, iterum atq; iterum extinguebantur ignei globi flammarum. Et cum inde magis tyrannus, furore simul esset & rubore repletus, iussit eos remorum uectibus enecari, & ita singulos in modum canum cerebris cõminutis extingui. Qui tali gñe mortis, debitum spiritum feliciter domino reddiderunt, nec expauerunt lignis quatientibus mortificari, quibus semper fuit omnis spes in ligno. Sed cũ in mari uenerabilia corpora iactarentur illico, quod cõtra naturam est æquoris, eadem hora illæsa corpora pela-

gus littori reddere maturauit. Nec ausum fu it, ut moris est, triduana dilatione in pfunda detinere, ne præcepto dominico minime pareret. Ad quod miraculi genus & ipse ty rannus, licet impœnitens, ut fertur, expauit. Gaudens autem, quæ aderat, multitudo, cor pora sanctorum martyrum diligenti tradidit sepulturæ. Præeunte clero uenerabili Car thaginensis ecclesiæ, ubi etiam & prædicandi Diaconi iam confessoris effecti salutaris, & Miritæ geruli reliquiæ adfuere: Humatæ sunt igitur cum hymnis solennibus Lyspanæ reliquiæ beatæ sanctorum, in monasterio contiguo basilicæ, quæ dicitur Celerinæ, & sic in confessione Trinitatis beatissimi martyres passi sunt, & speciosum cursum certaminis sui, coro nante domino, perfece runt, cui est honor & gloria in se cula seculorum Amen.

HISTORIAE PERSECVTIONIS AFRICAE prouinciæ, tempore Genſerychi & Hunerychi Vandalorū regum, ſcriptore beato Victore Epiſcopo patriæ Vticenſis.

PROLOGVS.

VOndam uetere ſ ob ſtudiū ſapientiæ enucleare atq; ſciſcitari aſſidue, minime deſiſtebāt, quæ forte, uel qualia ꝓſpere, uelſecus prouinciis, locis, aut regionibus, eueniſſent, in quibus exacuentes ſtylum ingenij ſui, redolente magiſterij flore, ignaris hiſtoriæ calathos offerrent, gratuito munere propinatos, dabantq; operam ut nequaquā lateret in totum, quod in parte fu

erat geſtum. Sed illi faſtu mundialis amoris inflati, gloriam elationis ſuæ lõge lateq; geſtiebant laudabiliter diffamari. At uero uenerabilitas ſtudij tui, hiſtoriã texere iubens, inquirit ſimilitudinẽ, feruore diſpari, pari tñ amore. Et illi ut laudarẽtur in ſeculo, ipſe ut præclarus appareas in futuro, & dicas: Indomino laudabitur anima mea, audiant manſueti et lætentur. Poteris (inquis) ut uoles, qa omne datum optimum, & omne donũ perfectũ, cælitus accepiſti, eruditus à tãto Pontifice, totoq; laudis genere prædicando, beato Diacono, cuius ut aſtra lucentia, extant quàmplurima, catholici dogmatis, monimẽta dictorum, & ſat eſt tibi, uti æquipares doctrinam doctoris, quia ſatis eſt diſcipulo, ut ſit quomodo magiſter eius. Alium uideo Timotheum à cunabulis Eccleſiæ ſacris literis eruditum, nec non inter alios ſublimem atq; expeditum Lucam, arte medicum, apoſtoli, Pauli gentium doctoris, diſcipulũ. Ego iubentis imperio obedientiæ ceruicem ſubmittens, quæ obuenerunt in partibus Africanis debacchantibus Arrianis, ſenſim breuiterq; indicare tentabo, & quaſi ruſticus operarius defatigans ulnas, aurum colligam de antris occultis, ſpeciem uero adhuc ſordi

dam atq; confusam non cunctabor artificis iudicio, igni examinandam contradere, qui monetarios possit solidos efformare.

Persecutionum Africæ Liber .I.

Exagesimus nūc (ut clarū est) agitur annus, quo populus ille crudelis ac sæuus Vandalorū gentis Africæ miserabiles attigit fines, trāsuadans facili transitu per angustias maris, quo inter Hispaniā Africamq; æquor hoc magnū spaciosumq; bissenis millibus, angusto limite se coarctauit. Transiens igitur quantitas uniuersa, calliditate Genserychi ducis, ut famam suæ terribilem faceret gentis, illico statuit omnem multitudinem numerari, quam huic luci ad illam usq; diem, uterus profuderat uentris. Qui repertisunt, senes, paruuli, serui uel domini, octoginta milia numerati. Quæ opinio diuulgata usq; in hodiernū anceps gentibus, armatorum tātus numerus æstimatur, cum sit nunc exiguus & infirmus. Inuenientes igitur pacatam quietamq; prouinciam, speciositatem totius terræ florentis, quaqua

uerſum impietatis agminib⁹ impetebāt, deuaſtando depopulabantur, incendio atq; homicidijs totum exterminantes, ſed nec arbuſtis fructiferis, omnimode parcebant, ne forte quos antra montium, aut prærupta terrarum, uel ſecluſa quæq; occultauerant, poſt eorum tranſitum, illis pabulis nutrirentur. Et ſic tali crudelitate furentibus, ab eorum contagione nullus remāſit locus immunis: Præſertim in eccleſijs, baſilicisq; ſanctorū, cœmiterijs, uel monaſterijs, ſceleratius ſæuiebant, ut maioribus incendijs, domos orationis, magis quàm urbes cunctaq; oppida concremarent. Vbi forte uenerabilis aulæ clauſas repererāt portas, certatim ictibus extralium, aditum reſerabāt, ut recte tunc diceretur: Quaſi in ſylua lignorum ſecuribus conſciderunt ianuas eius in idipſum, in ſecuri & aſcia deiecerunt eam. Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui. Quāti ab eis et præclari pontifices, & nobiles ſacerdotes, diuerſis generibus pœnarum extincti ſunt, ut traderent, ſi quid auri, uel argenti proprium, uel eccleſiaſticū haberēt. Et dū (quæ erāt) urgentibus pœnis facilius æderentur, iterū crudelibus tormentis oblatores urgebant, autu-

mantes quandam partem, non totam oblatam. Et quanto plus dabatur, tanto amplius quempiam habere credebãt. Alijs palorum uectibus ora reseruãtes, fœtidũ cænum ob confessionem pecuniæ, faucibus ingerebãt. Nonnullos in frontibus & tibijs, neruis remugientibus torquendo cruciabant. Plerisq; aquam marinam, alijs acetum, amurcam, liquamenq;, & alia multa crudelia, tanquam utribus imbutis, ore apposito, sine misericordia porrigebant. Non infirmior sexus, non consideratio nobilitatis, non reuerentia sacerdotalis, crudeles animos mitigabat. Sed quinimmo, ibi exaggerabatur ira furoris, ubi honorem conspexerant dignitatis. Quãtis sacerdotibus, quantisq; illustribus onera ingentia, ut camelis, uel alijs generibus iumentorum, impositerunt, nequeo narrare. Quos stimulis ferreis ad ambulandum urgebant, quorum nonnulli sub fascibus miserabiliter animas emisere. Senilis maturitas atq; ueneranda canicies (quæ cæsariem capitis ut lanam candidam dealbarat, nullam sibi misericordiam uendicabat, sed etiam paruulos ab uberibus maternis rapiens barbarus furor, insontem infantiam allidebat ad terram. Alij è regione pedes tenẽtes à mea-

tu prorſus naturali, uſq; ad arcem capitis diſſipabant, quando tunc porta Sion captiua cantabat: Dixit inimicus incendere ſe fines meos, interficere infantes meos, et paruulos meos eliſurum ad terram. In ædificijs nonnullis magnarum ædium uel domorũ, ubi miniſterium ignis minus ualuerat, tectis ad modum deſpicatis, pulchritudinẽ ſolo æquabant, ut nunc antiqua illa ſpecioſitas ciuitatũ nec quæ fuerit prorſus appareat. Sed & urbes quàmplurimæ, aut raris, aut nullis habitatoribus incolũtur. Nam & hodie ſi qua ſuperſunt, ſubinde deſolabantur, ſicut in Carthagine munc theatra, ædem Memoriæ, & uiam, quæ cæleſtis uocabatur, funditus deleuerunt. Et ut de neceſſarijs loquar, Baſilicã maiorem (ubi corpora ſanctorũ martyrũ Perpetuæ & Felicitatis ſepulta ſunt) Celerinæ, uel Scillitanorum & alias (quas non deſtruxerant) ſuæ religioni, licentia tyrannica, mancipauerunt. Vbi uero munitiones aliquæ uidebantur, quas hoſtilitas barbarici furoris oppugnare nequiret, congregatis in circuitu caſtrorum, innumerabilibus turbis, gladijs feralibus cruciabant, ut putrefactis cadaueribus, quos adire non poterant, arcẽte murorum defenſione, corporũ liqueſcentium

enecarent fœtore.

De ſancto Pampinia et de ſancto Manſucto.

QVanti & quàm numeroſi ab eis cruciati ſunt ſacerdotes, explicare quis poterit? Tunc enim & noſtræ ciuitatis uenerabilis Pampinias antiſtes, candentis ferri laminis toto aduſtus eſt corpore. Similiter & Manſuetus Iuricitanus, in porta incẽſus eſt Fornitana. Qua tempeſtate Hipponẽ obſeſſa eſt ciuitas, quam omni laude dignus beatus Auguſtinus, librorum multorum cõfector, Pontifex gubernabat.

Hippone obſeſſa, ubi ſanctus Auguſtinus erat Epiſcopus.

NVnc illud eloquentiæ, quod ubertim per omnes campos Eccleſiæ decurrebat, ipſo metu ſiccatum eſt flumen, atq; dulcedo ſuauitatis dulcius propinata, in amaritudinem abſynthij uerſa eſt, ut Dauidicum præconium conueniret: Dum cõfiſteret peccator aduerſum me, obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis uſq; ad illud tẽpus. Ducentos iam triginta & duos libros cõfecerat exceptis innumerabilibus epiſtolis, uel expoſitione totius Pſalterij, & Euangeliorum, atq; tractatibus popularibus, quos Græci homelias uocant, quorum numerum compre-

hendere, satis impossibile est. Quid multa? Post has truces impietatis insanias, ipsam urbem maximam Carthaginem Genserychus obtinuit, & intrauit, & antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem, in seruitutē redegit. Nam senatorum & urbis, non paruā multitudinem captiuauit, & inde proposuit decretum, ut unusquisq; auri, argenti, gēmarum, uestimentorumq; pretiosorum quodcunq; haberet, offerret. Et ita in breui auitas atq; paternas opes tali industria abstulit rapax, disponens quoq; singulas quascunque prouincias, sibi Iacenam, Abaritanam atque Getuliam, & partē Numidiæ reseruauit. Exercitui uero Eugitanam uel Proconsularem funiculo hæreditatis diuisit. Valentiniano adhuc Imperatore, reliquas, licet iam exterminatas, prouincias defendente, post cuius mortem totius Africæ ambitum obtinuit. Nec non & insulas maximas, Sardiniam, Siciliam, Corsicam, Maioricam, Minoricam, uel alias: multa superbia sibi consueta defendit, quarū unam illarum, id est, Siciliā Odoacro Italiæ regi post modum, tributario iure concessit. Ex qua ei Odoacer singulis quibusq; temporibus, ut domino tributa dependit aliquam tamen sibi reseruans partem. Præ-

terea præcipere nequaq̃ cunctatus Vandalis, ut Episcopos, atque laicos nobiles de suis ecclesijs & locis nudos penitus effugarent, quod etiam in plurimis factũ est. Multos enim episcopos, & laicos claros, atq; honoratos uiros seruos esse nouimus Vandalorum.

Sanctus Quoduultdeus in exilium missus.

TVnc uero memoratæ urbis Episcopũ, id est, Carthaginis, deo & hominibus manifestum, nomine Quoduultdeus, & maximam turbam clericorũ nauibus factis impositos nudos atq; expoliatos expelli præcepit, quos deus miseratione bonitatis suæ p̃spera nauigatione Neapolim Cãpaniæ perducere dignatus est ciuitatem. Senatorum atq; honoratorum multitudinem primo exilio crudeli contriuit, postea transmarinas in in partes proiecit. Pulso namq; Episcopo, ut præfati sumus, cum clero uenerabili, ilico ecclesiam, nomine Restitutam, in qua semper episcopi commanebant, suæ religioni mancipauit, atq; uniuersas quæ intra muros fuerant ciuitatis, cum suis diuitijs abstulit, sed etiam foris muros quascunq; uoluit, occupauit, & præcipue duas egregias & amplas sancti martyris Cypriani, unam, ubi sangui

nem fudit, alterā, ubi eius corpus sepultum est, qui locus Mappalia dicitur. Quis uero sustineat atq; possit sine lachrymis recordari, dum præciperet nostrorum corpora defunctorum, sine solēnitate hymnorum, cum silentio sepulturæ, perduci? Addidit adhuc, ut pars clericorū, quæ remanserat, pœnali exitio traderetur. Et dum ista fierēt, qui supererāt magni sacerdotes atq; insignes uiri memoratarū prouinciarū, quas diuiserat Vandalis, cogitauerūt supplicandi gratia regem adire. Qui dum (ut moris est) ad Maxilitanum littus exissent, quod Ligula uulgi consuetudine uocitatur, amissis iam ecclesijs & rebus occurrere uisi sunt supplicantes, ut ad consolandum populum dei, saltem habitandi facultas Vandalis iam dominantibus concederetur. Quibus dixit rex: Decreui ego de nomine & genere uestro nullum dimittere, & uos audetis talia postulare? Quos etiā uicino mari uoluit eadem hora mergere, nisi à suis diu, ne hoc faceret, rogaretur. Recedentes illi tristitia et mœrore cōfecti, cœperunt qualiter poterant, & ubi poterant, ablatis ministris, diuina mysteria celebrare. Subinde autem crescente opibus, regno, maior cœpit & superbia propagari. Referā factum quod

ipso gestū est tempore. Fuit comes quidam Sebastianus, familiaris illius, gener comitis Bonifacij, acer consilio, et strenuus in bello, cuius Genserychus sicut consilia necessaria habebat, ita & præsentiam formidabat. Cupiens autem illum extinguere, occasionem mortis de religione quæsiuit. Cogitauit rex ut præsentibus episcopis atq; domesticis suis, Sabastianum taliter conueniret: Sebastiane, inquit, scio quia fideliter nobis adhærere iurasti, cuius ueritatem sacramenti, labores tui uigilantiaq; demonstrauit, sed ut nobis cōnexa semper iugisq; maneat amicitia tua, hoc placuit præsentibus sacerdotibus nostris, ut eius efficiaris cultor religionis, quam & nos ipsi penitus ueneramur. Cui Sebastianus, rem inueniens miram, multisq; necessariam, pro tempore acute respondit: Quæso domine rex, ut nunc panis mundissimus atq; similagineus afferatur. Qui (cum ignorasset Genserychus Sebastiani uictoriam) illico iussit afferri. Apprehendens itaq; Sebastianus mundissimum panem, ita affatus est: Hic panis ut ad tantum decorem splendoris ueniret, et mensæ regiæ necessarius haberetur, discussa spuria furfuris, ex massa similaginis conspersus, per aquam transiuit, & ignem:

Idcirco & aſpectu clarus, & eſu ſuauis habe tur. Ita & ego mola catholicæ matris cōmolitus, & cribro examinationis & ſimila mun da purgatus, rigatus ſum aqua baptiſmatis, & igne ſancti Spiritus coctus. Et ut hic panis de furno, ita & ego pro officio ſacramentorum diuinorum, artifice deo, dei de fonte mundus aſcendi. Sed fac, ſi uelis, quod ipſe propono. Iſte panis confringatur in fruſta, madidetur aqua, & iterū conſpergatur mittaturq; in furnum, ſi melior exierit, faciā qd hortaris. Quam propoſitionem Genſerychus cum omnibus, qui aderāt, cum audiuiſſet, ita ligatus eſt, ut ſoluere omnino nō poſſet. Quare alius generis argumento, poſtea bellicoſum uirum occidit. Et ut ad id redeamus, unde digreſſi ſumus. Terrent præceptis feralibus, ut in medio Vandalorū noſtri nullatenus reſpirarent, neq; uſque quaque orandi aut immolandi concederetur gementibus locus, ut manifeſte tunc prophetiæ uaticinium compleretur: Non eſt in hoc tempore princeps, aut propheta, aut dux, neq; locus ad ſacrificandum nomini tuo. Nam & diuerſæ calumniæ non deerant quotidie etiam illis ſacerdotib⁹, qui in his regionibus uerſabātur, quæ regiōes palatio tributa pen

debant. Etsi forsitan quispiam, ut moris est, dum dei populum admoneret Pharaonem, Nabuchodonosor, Holofernē, aut aliquem similem nominasset. Obijciebatur illi, quod in personam regis ita dixisset, & statim exilio tradebatur, hoc enim tempore persecutionis genus agebatur hic aperte, alibi occulte, ut piorū nomen talibus insidijs interiret.

Sanctos episcopos exilio relegatos.

QVa re plurimos sacerdotum tunc nouimus relegatos, sicut Vrbanum Girbensem, Crescentem Metropolitanū Aquitaniæ ciuitatis, qui centum præerat episcopis & uiginti. Habetdeum Teudelensem, Eustratium Suffectanum, & Tripolitanos duos, Vicissabratenum & Creconium Nicensem. Et Adrumentinæ ciuitatis Felicē episcopum, ob hoc, quod susscepisset quendam Ioannem monachum transmarinum, sed et alios multos, quos longū est enarrare. Quibus tamen in exilio positis, dum obitus obuenisset, non licebat in eorum ciuitatibus, alios ordinari. Inter hæc tamen, dei populus in fide consistēs, ut examina apum cereas ædificantia mansiones, crescendo melleis fidei clauiculis firmabatur, ut compleretur illa sententia: Quanto magis affligebantur, tanto ma-

gis multipl icabantur, et inualeſcebāt nimis. Poſt hæc factum eſt, ſupplicante Valentinia no Auguſto, Carthaginēſi eccleſiæ poſt lon gum ſilentium deſolationis, epiſcopum ordi nari, nomine Deogratias.

Deogratias Epiſcopus.

QVare ſi nitatur quiſquam per ea, quæ per illum dominus fecerit, paulatim excurrere, ante incipient uerba deficere, q̄ ille ualeat aliquid explicare. Illo igitur epiſcopo conſtituto, factum eſt, peccatis urgentibus, ut urbem illam, quondā nobiliſſimam atq; famatam, quinto decimo regni ſui anno, caperet Romam. Et ſimul exinde regum multorum diuitias, cum populis captiuauit. Quæ dū multitudo captiuorum Africanum attingeret littus, diuidentibus Vandalis & Mauris ingentem populi quātitatem, ut moris eſt Barbaris, mariti ab uxoribus, & liberi à parentibus ſeparabantur.

Vaſa eccleſiæ ad redemptionem captiuorum diſtraxit.

STatim ſategit uir deo plenus & clarus, uniuerſa miniſterij uaſa, aurea uel argentea diſtrahere, et libertatem de ſeruitute barbarica liberare, ut & coniugia fœderata manerent, & pignora genitoribus redderētur.

Et quia loca nulla sufficiebant ad capiendam multitudinem tantam, basilicas duas nominatas & amplas, Fausti & Varij cum lectulis atq; straminibus deputauit.

Opus piißimi Episcopi.

DEcernens per singulos dies, quantum quis merito acciperet, & quia plerosq; mansio nauigñ & crudelitas captiuitatis afflixerat, non paruus numerus inter eos fuerat eorum, quos ille antistes ut nutrix pia, per momenta singula uice medici, circumibat sequẽtibus cibis, ut inspecta turba, quod cuiq; opus esset illo p̃sente daretur. Sed nec nocturnis horis ab hoc opere misericordiæ feriabatur. Sed, excurrens per singulos scisscitans qualiter quisq; se haberet, ita se tradiderat huic omnino labori, ut nec defessis mẽbris, nec aridæ iam senectuti, parceret. Quare liuore Arriani succensi, dolis eum q̃pluribus uoluerunt sæpius enecare, quod credo prævidens dominus, cito passerem suum de manibus accipitrum uoluit liberare. Cuius exitum urbis captiui ita planxerunt, ut tunc se putarent magis tradi manibus Barbaro⁹ quando ille perrexit ad cælum. Functus est autem sacerdotio annis tribus. Cuius amore & desiderio populus intentus, poterat

membra digni corporis rapere, niſi conſilio prudenti, dum pro more orationi uacatur, neſciente multitudine ſepeliretur. Et quia tacendum ſemper non eſt de impietatibus hæreticorum, nec uerecundũ poterit eſſe, quod ad laudem facit patientis, ordinatur quidam ſacerdotio nomine Thomas.

Ordinatur quidam ſacerdotio nomine Thomas.

THomas Epiſcopus uenerabilis, dum uarijs ab eis inſidijs ſæpius arctaretur, quodam tempore uenerabilem ſenem in publica facie cathomos cæciderunt. Quod ille non ad opprobrium, ſed ad mercedem computans gloriæ ſuæ, in domino lætabatur, unde factum eſt, ut poſt obitum Carthaginis epiſcopi Eugitanæ, & Proconſulari prouinciæ, epiſcopos interdiceret ordinãdos. Quorum erat numerus centum ſexaginta quatuor. Qui paulatim deficientes, nunc uel ſi ipſi ſuperſunt, tres tantum eſſe uidentur. Vincentius Vigitanus, Paulus Sitmaritanus, uere merito & nomine Paulus, & alius Quintianus, qui nunc perſecutionem fugiens, apud Adeſſam Macedoniæ ciuitatem cõmanet peregrinus. Sed etiam tunc martyria plurima fuiſſe probantur. Confeſſorum autẽ ingens

& plurima multitudo, ex quib⁹ aliquos narrare tentabo, erāt tunc ſerui cuiuſdam Vandali, fuit autem hic Vandalus de illis, quos Milenarios uocant, Mauritanus. Saturianus & eorum duo germani. Erat & quædā conſerua eorum egregia Chriſti ancilla, nomine Maxima, corpore ſimul & corde decora. Et quia Maturianus armorum factor erat, & domino ſuo ſatis uidebatur acceptus, & Maxima uniuerſæ domui dominabatur, credidit Vandalus, ut fideles ſibi magis memoratos famulos faceret, Maturianum Maximamq; coniugali conſortio ſociare.

Nimis memorabile factum.

MAturianus adoleſcentulorum ſeculārium more, coniugiū affectabat, Maximaq; iam deo ſacrata, humanas nuptias refutabat. At ubi uentum eſt, ut cubiculi adirēt ſecreta ſilentia, & Maturianus neſciēns quid de eo decreuerat deus, maritali fiducia quaſi cum coniuge cuperet pernoctare, uiuaci uoce memorata famula Chriſti reſpōdit: Chriſto ò Maturiane frater, membra mei corporis dedicaui, nec poſſum humanū ſortiri coniugium, habens iam cæleſtem & uerū ſponſum, ſed dabo conſilium, ſi uelis poteris & ipſe tibi præſtare, ſcilicet, ut cui ego concupi-

ui nubere delecteris, ipsiq; seruire. Ita factū est, domino procurante, ut obediens uirgini etiam adolescentiæ suæ animam lucraretur. Nesciente igitur Vandalo spiritalis secreti cōmercia, compunctus atq; mutatus Maturianus, etiam suis fratribus persuasit, ut thesaurum, quem inuenerat, haberent utpote germani, communem. Conuersus itaq; cum tribus fratribus suis, dei quoq; puella comitante, nocte clam egredientes, Tabracenō monasterio, cui præerat tunc nobilis pastor Andreas, sociantur. Illa uero haud procul monasterium incoluit puellarum. Sciscitante igitur Barbaro inquisitionibus & muneribus crebris, quod gestum erat, celari nō potuit. Inueniens itaq; iam nō sua, sed Christi mancipia, uinculis & uariis tormentis dei famulos insectatur. Agens cum eis, non tantum ut pariter miscerentur, sed quod grauius est, rebaptizationis cœno, fidei suæ ornamenta turbarent. Peruenit hoc ipsum usque ad noticiam Genserychi regis, qui præcepit ut tam diu torquerentur, donec illius succūberent uoluntati. Iubet in modum serrarum fustes robustos ueluti palmatos, cum stipitibus fieri, qui quatientibus tergis non solum ossa confringerent, sed etiā terebrātes aculei

intrinsecus remanerent, qui dum sanguis ef
flueret, dissipatis carnibus, uiscera nudarent.
Sequenti die, Christo medicante, semper in-
columes reddebantur. Hoc sæpius & multo
factum est tempore, ut nulla plagarum uestī
gia uiderentur, Sanctospiritu semper curan
te. Post hoc Maxima dura custodia compe-
deq; crudeli extenditur, cui cū dei seruorum
uisitantium non deesset frequentia, uidētibus
cunctis, ingentium lignorum putrescens so
luta est fortitudo. Miraculum hoc & uoce
omnium celebratur, & nobis, ad quem cu-
stodia pertinebat, cum sacramēto testata est
ita fuisse. At ubi Vādalus uirtutē neglexit co
gnoscere, diuina cœpit in domo eius uindi-
catrix ira grassari. Moritur ipse, & filij simul
familiæ, atq; animalia quæcunq; optima erāt
pariter interēūt. Remanēs itaq; dña uidua ma
rito, filijs, substantia destituta, seruos Christi
cognato regis Serfaoni gratia muneris of-
fert. Qui cum eos, utpote oblatos, cum gra-
tulatione nimia susceptisset, filios uel dome-
sticos eius sanctorum merito malus cœpit
dæmon uarijs motibus agitare. Ex ordine il
le cognatus, ut gestum erat, suggerit regi, de
creuit statim rex cuidam gentili regi Mau-
rorum, cui nomen erat Capsus, relegandos

debere tranſmitti. Maximam namq; famulam Chriſti, confuſus & uictus propria uoluntate dimiſit, quæ nũc ſupereſt multarum mater uirginum dei, nobis etiam nequaquã ignota. Peruenientes autem traduntur memorato regi Maurorum, cõmanenti in parte heremi, quæ dicitur Caprapicta, Vidẽtes igitur Chriſti diſcipuli, multa apud Gentiles illicita ſacrificiorũ genera, cœperunt prædicatione & conuerſatione ſua, ad cognitionẽ dei noſtri, Barbaros inuitare. Et tali modo ingentem multitudinem gentilium Barbarorum, Chriſto domino lucrati ſunt: ubi antea à nullo fama Chriſtiani nominis fuerat nominata, ueldiuulgata. Tunc deinde cogitant, quid fieret, ut ager incultus & ingraminatus, uomere prædicationis Euangelicũ ſuſciperet ſemen, & hymbre ſacri baptiſmatis rigaretur. Mittunt legatos, per itinera diſtenta deſerti, perueniunt tandem ad ciuitatem Romanam. Rogatur Epiſcopus, ut preſbyterum & miniſtros credẽti populo deſtinaret. Expletur gaudio ob id, quod petebatur Pontifex dei. Conſtruitur eccleſia, baptizatur ſimul multitudo maxima Barbarorũ, & de lupis grex fœcundus multiplicatur agnorum. Hoc Genſerycho relatione ſua re-

nunciat Capſus, de qua re ſurgens inuidia iubet famulos dei ligatis pedibus poſt terga currentinm quadrigarum, inter ſpinoſa loca ſyluarum pariter interire, ut ducta atque reducta dumoſis lignorum aculeis, innocentum corpora carperentur, ita eos ligans, ut exitum ſuũ inuicem præuiderent. Qui cum uincti currentibus indomitis equis, plãgentibus Mauris, ſeſe mutuo conſpicerent, uale ſibi in auguſto furore unuſquiſq; ita dicebat: Frater, ora pro me, impleuit deus deſideriũ noſtrum, taliter peruenitur ad regnum cælorum.

Imitabile factum dei ſerui.

ITaq; orando atq; pſallẽdo, gaudentibus angelis, pias animas emiſere, ubi uſq; in hodiernum diem non deſinit ingentia mirabilia Ieſus Chriſtus noſter dominus operari. Nam nobis quondam beatus Fauſtinus Burtinitanus epiſcopus atteſtatus eſt, cæcã quandam mulierem illuminatam fuiſſe, ubi ipſe aderat præſens. Accẽditur poſt hæc aduerſus dei Eccleſiã Genſerychus, mittit Proculum quendam in prouinciam Eugitanam qui coarctaret ad tradendum, myſteria diuina, uel libros cunctos, ut domini ſacerdotes primo armis nudaret, & ita facilius inermes

hostis callidus captiuaret.

Contra illos qui sacras res inique præsumunt.

QVis non posset condolere clamãtibus sacerdotibus? Ipsi rapaci manu cuncta depopulabantur, atq; de pallijs altaris, proh nefas, camisias sibi et femoralia faciebãt. Qui tamen Proculus, huius rei executor, frustatim sibi comedens linguam, in breui turpissima consumptus est morte.

Sanctissimi Valeriani episcopi patientia cum fortitudine.

TVnc enim sanctus Valerianus Habensse ciuitatis episcopus, dum uiriliter sacramenta diuina ne traderet, dimicasset foris ciuitatem, singularis iussus est pelli. Et ita præceptũ est, ut nullus cũ neq; in domo neq; in agro, admitteret habitare. Qui in strato publico, multo tempore nudus iacuit sub aëre. Annos natus erat plures octoginta. Quem nos indigni meruimus salutare in tali exilio: Quodam tempore paschalis solennitas agebatur, & dum in quodam loco, qui Reia uocitatur, ob diem paschalis honoris, nostri sibimet clausam ecclesiam reserarent: comperiunt Arriani. Statim quidam presbyter eorum Adiut nomine, congregatam ar-

matorum manum, ad expugnandã turbam innocentum accendit. Introeuntes è uaginis arma corripiũt, alĳ quoq; tecta conſcẽdunt, & per feneſtras eccleſiæ ſagittas ſpargunt. Et tunc, forte audiente et canẽte populo dei, lector unus pulpito aſſiſtens alleluyaticum melos canebat, quo tempore ſagitta iaculatus, cadente de manibus codice, mortuus cecidit: Nam & alĳ q̃plurimi ſagittis & iaculis in medio crepidinis altaris probantur occiſi, nam qui gladĳs tunc interempti non ſunt, poſtea pœnis attriti, regio iuſſu omnes necati ſunt, præſertim maturioris ætatis. Alibi namq; ſicut in Tumiruda contigit, Galbis, Vico, uel alĳs in locis, tempore quo ſacramenta dei populo porrigebantur, introeuntes maximo cum furore corpus Chriſti, & ſanguinem pauimento ſparſerunt, & illud polluti pedibus calcauerunt. Ipſo em̃ Genſerychus præceperat tempore, ſuadentibus epiſcopis ſuis, ut intra aulam ſuam filiorumq; ſuorum non niſi Arriani per diuerſa miniſteria ponerentur. Inter alios uentũ eſt tunc ad Armogaſtẽ noſtrum, cuius cum diu acſæpius tibias torquendo tumentibus conſtringerent chordis, & frontem in qua uexillum Chriſtus ſuæ fixerat crucis, rugatam magis

quàm exaratam diſcindẽtes atq; mugientes oſtenderent, nerui, ut fila aranearum, ſancto cælum reſpiciente, crepabant. At ubi tortores neruicas chordas diruptas eſſe uiderunt allatis crebrius fortioribus chordis atq; caballinis, illo nihil aliud niſi Chriſti nomẽ inuocante, illa omnia uaneſcebant, ſed & capite deorſum dum ad unum penderet pedem, dormire, quaſi ſuper lectũ plumis ſtratum, omnibus uidebatur. Quem cum Thederychus regis filius, qui eius dominus erat, pœnis non ualentibus capite truncari iuſſiſſet, à ſuo prohibetur Iocundo preſbytero, dicente ſibi, poteris eum diuerſis afflictionibus interficere: Nam ſi gladio peremeris, incipiẽt eum Romani martyrem prædicare. Tunc Thederychus in Bizagenam prouinciam, ad fodiẽdas eum condemnat ſcrobes. Poſtea, quaſi ad maius dedecus, haud procul à Carthagine ubi ab omnibus uideretur, eum paſtorem præcepit eſſe uaccarum. Interim domino reuelante, cum dormitiõis ſuæ proximum cerneret diem, aduocat quendã Felicem uenerabilem Chriſtianum, procuratorem domus filij regis, qui Armogaſten, ut apoſtolũ uenerabilem habebat, dixitq; illi: Tempus meæ reſolutionis aduenit, obſecro

te, per fidem quã utriq; tenemus, ut sub hac ilice me sepelire digneris, redditurus deo nostro, nisi feceris, rationem. Non quod ille curaret, ubi aut qualiter suum sepeliretur corpus, sed ut illud demonstraretur quod seruo suo reuelauerat Christus. Respondit Felix, & dixit: Absit à nobis confessor uenerabilis sed sepeliam te in una basilicarũ, cum triumpho & gratia, quam mereris. Cui beatus Armogastes: Non, sed quod dixi, facturus es. Ille timens Dei hominem contristari, ueraciter quod iusserat, promisit se esse facturum. Statim intra paucissimos dies bonæ cõfessionis comes, de hac uita migrauit. Felix festinauit sibi delegatum sub arbore sepulchrum fodere, cui cum intextæ radices et solidatæ aridæ telluris moram facerẽt, & labore augeretur, ne tardius sancti membra corporis humarentur, tãdem abscissis radicibus multo altius terrã cauãtes, conspiciunt sarcophagum splendidissimi marmoris præparatum, quale forte omnino nullus habuit regum. Sed nec quendam Archinimum nomine Masculinum prætereo, qui cum multis insidijs premeretur, ut catholicam amitteret fidem, ipse eum rex postea blandiendo affatibus inuitabat, promittens eum multis diui-

tijs cumulandum, si uoluntas eius auditum facilem commodasset. Qui cum fortis atq; inuictus in fide maneret, iubet eũ subire sententiam capitalem, ita tamen callidus occulte præcipiens, ut si in illa hora uibrantis gladij pertimesceret ictum, magis eum occideret, ne martyrem glorioſum feciſſet. Si aũt fortem in confeſſione conſpiceret, à gladio temperaret, ſed ille, ut columna immobilis, Chriſto ſolidante, fortis effectus, confeſſor reuertitur glorioſus. Et ſi martyrem inuidus hoſtis noluit facere, confeſſorem tamẽ non potuit uiolare.

Saturi fortiſſimum in Chriſto factum.

NOuimus & alium ea tempeſtate, nomine Saturum, qui cum lucidum eſſet membrum Eccleſiæ Chriſti, & prauitatem Arrianorum libertate catholica frequenter argueret, fuit hic procurator domus Hunerychi, conuenitur accuſante Mauridano diacono, quem Hunerychus infauſtus, ſingulariter honorabat, ut fieret Saturus Arrianus. Promittuntur honores, & diuitiæ multæ, ſi faceret: præparantur ſupplicia dira, ſi nollet. Hac opinione propoſita, ſi regalibus iuſſis non obediret prima diſcuſſiõe, ſtatim amiſ-

ſa domus,ſubſtãtia,diſtractis omnibus mancipijs ac filijs,uxor eius,ipſo præſente,camelario ad cõiugium traderetur. Quod ille plenus deo,magis,ut uelociter præueniret impios,prouocabat. Ob hãc cauſam,uxor eius inducias uiſa eſt ab his quæ exequebantur, neſciente marito,petiſſe. Acceſſit ad maritũ altera Eua,cõſilio magiſtrata, ſed ille Adam non fuit, qui illecebras uetitæ arboris poma contingeret,quia non indigens,ſed Saturus uocabatur. Saturus ab ubertate domus dei, & torrente deliciarum eius potatus. Aduenit mulier ad locum, ubi maritus ſingularis orabat,conſciſſis ueſtibus,crineq; ſoluto,ſeq; comitantibus filijs,unaq; infantulum, qui tunc lactabatur,manibus geſtiens,quẽ proijciens ad pedes mariti,etiam ipſa ſuis genua complectitur ulnis,ſibilans uociferatiõe draconis:Miſerere mei dulciſſime, ſimul & tui, miſerere communibus liberis,quos conſpicis ipſe: Non ſubiaceant conditioni ſeruili, quos claros proſapia reddidit generis noſtri:Non ſubijciar ego indigno & turpi coniugio,uiuente marito, quæ mihi ſemper inter cœnas plaudebam de Saturo meo. Cognoſcit deus, quia inuitus facturus es hoc, quod forte uolũtarie aliquãti fecerunt. Cui

ille illud ſancti Iob reſpondit: Tanq̃ una ex inſipientibus mulieribus loqueris, formidarem mulier, ſi ſola eſſet huius uitæ amara dulcedo: Artificio diaboli coniunx miniſtras. Si diligeres maritum, nunquã ad ſecundã mortem attraheres proprium uirum. Detrahant filios, ſeparent uxorem, auferant ſubſtãtiam domini mei, ego ſecurus de promiſſis uerba tenebo: Si quis non dimiſerit uxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit eſſe diſcipulus. Quid ultra? Diſcedens mulier conſilijs refutata, confortatus Saturus, ad coronam diſcutitur et ſpoliatur, pœnis cõteritur, mẽdicus dimittitur. Interdicitur ei prodeundi acceſſus, totum ei tulerunt, ſtolam tamen baptiſmatis auferre nõ potuerunt. Poſt hæc Genſerychus eccleſiam Carthaginis claudi præcepit, diſſipatis atq; diſperſis per diuerſa exiliorum loca, quia epiſcopus non erat, preſbyteris et miniſtris, quæ uix reſerata eſt, Zenone principe ſupplicante, per patricium Seuerum. Et ſic uniuerſi ab exilio redierunt, Quæ uero in Hiſpania, in Italia, Dalmatica, Cãpania, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutia, Venetia, Lucania, Epiro, Hellade geſſerit, melius ipſi, qui paſſi ſunt, miſerabiliter lugendo, narrabunt: Sed iam perſecutionis

noſtræ à Genſerycho cum ſublimiter tũ cru deliter geſtæ, iſte ſit finis. Durauit autem in regno annis. 37. & menſibus tribus.

LIBRI PRIMI FINIS

De Hunerycho ſacrilego Liber ſecundus.

MOrtuo igitur Genſerycho, Hunerychus Nundrius maior filius patri ſuccedit. Qui in primordio regni, ut habet ſubtilitas Barbarorũ, cœpit mitius & moderatius agere: Et maxime circa religionem noſtram, ut etiã ubi antea ſub rege Genſerycho prædicatum fuerat, ne ſpirituales fierent conuentus, conuenticula concurrerent populorũ. Et ut ſe religioſum oſtenderet, ſollicitus iubet eſſe requirendos hæreticos Manichæos, ex quibus multos incendit, plurimos aũt deduxit nauibus tranſmarinis, quos pene omnes Manichæos ſuæ religionis inuenit, & in presbyteros præcipue et diaconos Arrianæ hæreſeos, unde magis erubeſcens, amplius exarſit. De quibus repertus eſt unus, nomine Clemẽtianus mo

nachus, illorum ſcriptum habēs in femore: Manichæus diſcipulus Chriſti Iheſu. Propter quod magis memoratus tyrannus lude bat, in uno diſplicens, quia cupiditate inſatia bili uehementius inhiabat, & prouincias regni ſui, uariis calumniis atq; indictionibus onerabat, ut de illo præcipue diceretur: Rex egens redditibus, magna calamitas eſt. Dedit aūt licentiam, Zenone Imperatore, atq; Placida, per edicta libri rogantibus, ut Carthaginenſis eccleſia ſibi, quem uellet, epiſcopum ordinaret, quæ iam uiginti quatuor annos tali ornamento fuerat deſtituta. Mittit ergo tunc ad eccleſiam Alexandrū illuſtrē, huiuſcemodi legationem ferentē: ut in præſentia eius catholicus populus, dignum ſibi peteret ſacerdotem, deſtinans quoq; per notarium ſuum nomine lutarit edictum, quod publice legeretur, hunc continens modum: Iuſſit nobis dominus dicere, quia imperator Zenon, & nobiliſſima Placida, per Alexandrum uirum illuſtrem, ſcripſerunt, petentes ut eccleſia Carthaginis, religionis noſtræ, proprium epiſcopum habeat. Hoc fieri præcepit atq; eis reſcripſit, uel legatis ab eis directis dicere iuſſit: ut ſicut petierunt uobis epiſcopū, quē uolueritis, ordinetis ſub eo. Ita noſtræ

religionis episcopi, qui apud Constantinopolim sunt, et per alias prouincias Orientis, ex eius præcepto liberum arbitriũ habeant in ecclesijs suis, quibus uoluerint linguis populos tractare, & legem Christianam colere, quemadmodum uos hic uel in alijs ecclesijs, quæ in prouincijs Africæ cõstitutę sunt, liberum arbitriũ habeatis, in ecclesijs uestris Missas agere, uel tractare: Nam si hoc circa eos non fuerit reseruatum, non tantum episcopus, qui ordinatus fuerit, uel clerici, sed et alij episcopi, cum clericis suis, qui in Africanis prouincijs sunt, iubebuntur inter Maurosmitti. Quod dũ edictum nobis præsentibus, quarto decimo kalen. Iuniarum uniuersæ ecclesiæ legeretur, gemere cœpimus mussitantes, eo quod insidiantibus dolis malorũ esset futura persecutio præparata, & ita dixisse legato ꝓbamur. Si ita est, interpositis his conditionibus periculosis, ecclesia episcopũ non delectatur habere. Gubernet eam Christus, qui semp dignatus est gubernare. Quã suggestionem legatus accipere neglexit, simul et populus, ut tunc fieret, ait, ignis exarsit, cuius erat clamor intollerabilis, qui nulla posset ratione sedari. Ordinato itaq; episcopo Eugenio uiro sancto, deoq; accepto,

sublimis nata est lætitia, & gaudium cumulatum est Ecclesiæ dei. Exultans multitudo catholica sub barbara dominatione, de ordinatione Pontificis reparati: Nam maximus numerus iuuenum atq; adolescentularum sibimet in cõmune gaudens, atteſtabatur, quod nunquam uidisset episcopum in throno sedentem. Porro ille uir dei, sacerdos Eugenius cœpit per conuersationẽ bonorũ operũ, uenerabilis & reuerendus haberi, etiã ab eis qui foris sunt, & ita esse omnibus gratus, ut (si fas esset) animam suam pro eisdem uniuersis ponere delectaretur. Eleemosynas quoq; tales per eũ dominus dignatus facere est, ut incredibile uidebatur, tanta eũ impendere, ubi ecclesia, totũ Barbaris tenentibus, nec unius nummi habere agnosceretur facultatem. Humilitatẽ in illo, charitatem, pietatem, diuinitus condonatã, si quisquam incipit, nõ poterit explicare. Pecunia apud eũ nũquam mansisse probatur, nisi forte tali hora offerretur, quando sol diei explicans cursum. nocturnis tenebris ordinem daret & locũ. Tantum reseruabat, quantũ diei sufficeret, non quantũ cupiditas expetisset, deo nostro quotidie ingentia & maiora donante. Sed cũ fama eius esset ubiq; celebris & manifesta, cœ

perunt exinde Arrianorum episcopi inuidia graui torqueri, quotidianis & præcipue Cyrillus, eum calumnijs infectantes. Quid plura? Suggerunt regi de illo, ut suo nequaquã insideret throno, neq; ad dei populũ, uerbũ faceret cõsuetũ. Deinde quoq; mares uel fœminas in habitu barbaro incedentes, in ecclesia conspicere prohiberet. Ille respondit, ut decuit: Domus dei omnibus patet, intrãtes nullus poterit expellere, maxime quia ingẽs fuerat multitudo nostrorum catholicorum, in habitu illorum incedentiũ, ob hoc quod domui regiæ seruiebant.

Impium iußum Hunerychi.

AT ubi ab homine dei tale responsum accepit, statuit in portis ecclesiæ collocari tortores, qui uidentes fœminã, uel masculum in specie suæ gentis ambulantẽ, ilico palis minoribus dentatis iactis in capite, crinibusq; in eisdẽ collocatis, ac uehementius stringentes simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferrẽt. Nonnulli, dum hæc fierẽt, oculos amiserunt statim: Alij ipso dolore defuncti. Mulieres uero post hãc pœnam, capitibus pelle nudatis, præcone præeunte, per plateas ad ostensionẽ totius ciuitatis ducebantur, quod sibi (quæ patiebãtur)

lucrum maximũ cõputabãt. Quos nos plurimos nouimus, neſcimus tñ aliquẽ eorum, etiam pœnis urgentibus, à recto itinere deſtitiſſe, At ubi iſto fidelem modo infringere non ualuit ullum, cogitat, ut noſtræ religionis homines in aula eius conſtituti, neq; annonas, neq; ſtipendia ſolita peterent. Addidit quoq; & laboribus eos conterere ruſticanis, dirigit uiros ingenuos & admodũ delicatos, ad cãpum Vticenſem, ut ſub ardẽtis ſolis incendio, ceſpites meſſium deſecarent. Vbi omnes cum gaudio pergentes, in domino lætabantur. In quorũ contubernio qdam fuit, aridã habens manũ, quæ pannos quàm plurimos nullũ ei præſtiterat obſequiũ, qui cum ueraciter excuſaret ſe operari non poſſe, magis uiolẽter iuſſus eſt pergere: Sed ubi ad locũ uentũ eſt, & præſertim pro eo orando ingemuerunt oẽs, pietate diuina, illa arida in columis cõfeſſoris reſtituta eſt manus. Hinc iam Hunerychi pſecutio doloris, atq; parturitionis noſtræ ſumpſit initiũ. Ipſe aũt qui ſeſe iãdudum bene oĩbus oſtenderat, deſiderans poſt obitũ ſuũ, filĩs (quod nõ contingit) regnum ſtatuere. Dederychum fratrem filiosq;, Gẽtonĩq; fratris nihilominus filios crudeliter cœpit inſequi, quorum nul-

lum dimitteret, niſi ei mors deſiderñ ſui uoluntatem auferret. Primo ſciens uxorẽ Thederychi aſtutam (credo ne forte maritũ, aut maiorem filiũ, quia prudens uidebatur et ſapiens, cõſilijs acrioribus aduerſus tyrãnum armaret) crimine impoſito, gladio eã interfici iubet. Poſt quã occiditur & ille filius magnus, literis inſtitutus, cui ſecundum cõſtitutionem Genſerychi regis, eo quod maior omnibus eſſet, regnum inter nepotes potiſſimum debebatur, accenditur adhuc crudelius aliquid perpetrare.

Iniuſtiſſimum & impiſſimum factum.

A Stante uulgo in media ciuitate p̃ gradibus plateæ nouæ, epiſcopũ ſuæ religionis, nomine Iocundũ, quẽ patriarcham uocitabant, præcepit incendio concremari, ob hoc, quod in domo Thederychi germani regis acceptiſſimus habebatur, cuius forte ſuffragio, memorata domus regnum poterat obtinere, in quo impietatis ſcelere futurum nobis adeſſe proſpeximus malum, aientes inuicem ſinguli nobis: Qui eſt ſuo itacrudelis effectus in ſacerdote, quãdo noſtræ religioni, uel nobis parciturus eſt iſte? Tũc & Gẽtonñ maiorem filium, nomine Godagis, cum uxore, abſq; ſolatio ſeruili, aut ancillæ,

crudeli exilio delegauit, fratrem uero Thederychum poſt occiſionē uxoris & filiꝝ, nudum atq; deſtitutū ſimiliter relegauit. Poſt cuius mortem, qui ſupererat, infantulū duas q; filias eius adultas, impoſitas aſinis, longius affligendo proiecit: Sed & comites quàm plurimos, & nobiles gentis ſuæ, obiectionibus falſis inſectans, ob quod ſe germanos facerent, alios incendit, alios gladio iugulauit. Imitator exiſtens Genſerychi patris, qui ſui fratris uxorem ligato pondere lapidum, in Auiſagam fluuium Cirtenſem fœtidum iactando demerſit. Et poſt necē matris etiam interfecit filios. Sed & multos Genſerychus pater moriens, ſacramento interpoſito, commendauerat, quos ille immemor fidei, & ſacramenti uiolator, diuerſis pœnis & incēdiꝭ trucidauit. Nam Eldicum, quem pater quondam præpoſitū fecerat regni, iam annoſum atq; ueteranum, cum dedecore capite trūcauit eiusq; uxorem, cum alia nomine Themaria, in medio ciuitatis incendit. Quarum corpora per uicos & plateas trahi mandauit, q̄ tota die iacēria, rogatus à ſuis epiſcopis, uix ueſperi ſepeliri conceſſit. Caniut namq; Elidici fratrem, qui ad eccleſiam eorum cōfugerat, occidere non potuit, quem tamen in lo-

eo latrinarum obſcœno concluſit, multoq; eum ibi tempore degere ſtatuit. Poſtea cum caprario quodã, & ruſtico ad faciẽdas ſcrobes uineis profuturas condemnauit. Quos etiam duodecies per annum .i. per ſingulos menſes flagellis crudelibus diſſipabat, uix modico aquæ cibariq; panis conceſſo. Hoc per quinq; uel amplius perpeſſi ſunt annos quibus hæc ſupplicia ſufficere poterant ad æternam mercedem, ſi catholici fuiſſent & fidei ſuæ merito memorata perferrent. Sed ideo iſtud ſilere nequiuimus, ut impietas regis etiam in ſuis, minime ſileretur, qui nõ ſolum epiſcopum ſuum Iocundum, ut ſuperius demonſtrauimus, flammis adduſſit, ſed & presbyteros & diaconos ſuos .i. Arrianos quàmplurimos incendit, ſed inſuper beſtijs mãcipauit. Amputatis igitur in breui omnibus, quos timebat, & ſolidãs ſibi, ut putabat, regnum, quod breue futurum erat & caducum, ex parte ocioſus atq; ſecurus, uniuerſa tela furoris in perſecutiones conuertit. Ante perſecutionis tamen tempeſtatem multis præeuntibus uiſionibus & ſignis imminens demonſtratum fuerat malum.

Viſiones ante perſecutionis tempora uiſæ à fratribus.

NAm ferme ante biennīū quàm fieret, uidit quidam ecclesiam Fausti solito ornatu fulgentem, & dum lætaretur cādore tanti fulgoris, cereis quoque fulgētibus, pallijsq; uelaminum, ac lampadibus rutilantibus subito (ait) luminis illius concupiscibilis extinctus est fulgor, ac tenebris succedentibus, aduersarius naribus natus est fœtor, omnisq; illa abbatum turba, expellentibus gbusdā Aethiopibus, eiecta est foras. Ob hoc magis lamentandum, quod eam in claritate pristina nequaquā uiderit iterū restitutam. Nam uisionem istā, nobis præsentibus, sancto retulit Eugenio. Vidit & quidam p̄sbyter ipsam Fausti basilicam, refertam turba innumerabilium populorū, & post paululum euacuatam, & repletam multitudine porcorum atq; caprarum: Item alius uidit areā triticeam uentilationi paratam, granis adhuc uentilatoris iudicio necdum à palea separatis, & dum ingentis massæ (licet confusæ) magnitudinem miraretur, subito ecce turbo ueniens tempestatis soniuago flatu, cœpit aduentum suum, surgente puluere, demōstrare cuius impetu palea illa omnis omnino uolauit, remanētibus granis, post hæc uenit quidam procerus, splendido uultu habituq; ni-

tido fulgens, cœpitq; grana uacua, macilenta atq; similagini reproba purgando proijcere, quæ diu examinans uix magnitudinem illius massæ licet probatæ, ad aceruũ tamen perduxit exiguum. Item alius ait: Stabat quidem præcelsus super montem domini, qui Ziquensis dicitur, & clamabat dextra læuaq; Migrate, migrate. Alius cõspexit rubente cælo turbatas sulphureas nubes, quæ ingentes cœperunt lapides iaculari. Qui lapides dum cecidissent in terram plus accendebantur & maioribus flammis ardebant, atq; intrantes in penetralia domorum, quos inuenerant, accendebant. Qui aũt uidit, ait, cũ se in quodam cubiculo abscondisset, miseratione diuina ad eum flamma non potuit peruenire, reor, ut illud propheticum cõpleretur: Claude ostium tuum, & abscondere aliquantulum, donec transeat ira dei.

Visio sancti Pauli.

VIdit & uenerabilis Paulus episcopus arborem usq; ad cælos ramis florẽtibus extensam, quæ etiam dilatatiõe sua omnem Africam opacabat. Et cum uniuersi eius magnitudine & speciositate gauderẽt, ecce subito uenit asinus (inquit) uiolentus, qui defricans ceruicẽ suam, super robur radicũ eius,

impulſu ſuo cum ingenti ſonitu, illam mirabilem arborem eliſit ad terram.

Viſio Quintiani epiſcopi.

SEd Quintianus uenerabilis epiſcopus, uidit ſe ſuper montem quendam ſtare, de quo conſpiciebat gregem innumerabilium ouium, & in medio gregis duæ erant ollæ nimium bullientes. Aderant aũt ouium occiſores, quarum carnes ollis bullientibus demergebãt. Et cum ita fieret, omnis illa magnitudo conſumpta eſt gregis. Reor ego illas duas ollas, Siccenſem & Larenſem duas eſſe ciuitates, in quibus multitudo prima fuerat congregata, & à quibus initium incendium ſumpſit. Aut Hunerychum regem & Cyrillum epiſcopum eius. Sed de multis uiſionibus, quia breuitati conſulendũ fuit, hæc dixiſſe ſufficiat. Quid ultra? Cenſet primo tyrãnus iuſſiõe terribili, ut nemo in eiꝰ palàtio militaret, neq; publicas ageret actiones, niſi ſeſe Arrianum feciſſet. Quorum ingens numerus uigore inuicto, ne fidẽ perderet, militiam tẽporalem abiecit, quos poſtea domibus omniq; ſubſtantia expoliatos, in inſulas Siciliam, & Sardiniam relegauit. Quinetiam ſtatuere per totam Africam feſtinauit, ut noſtrorum epiſcoporum defunctorum fiſcum

ſibi & ſubſtantiam uendicaret, qui autẽ defuncto ſuccedere poterat, non ante ordinaretur, niſi fiſco regali quingentos ſolidos obtuliſſet. Sed hoc ædificium ubi conſtruere uiſus eſt diabolus, ſtatim illud deſtruere dignatus eſt Chriſtus.

Auaritia impij Principis.

SVggerunt ei domeſtici ſui, dicentes: Si iſtud firmauerit præceptio noſtra, noſtri in partibus Thraciæ & alijs regionibus conſtituti, peiora incipient pati. Præcepit de inde ſacras uirgines cõgregari, dirigẽs Vandalos cum ſuæ gentis obſtetricibus, ad inſpiciendum & contractandum, contra ius uerecundiæ & pudoris, ubi nec matres aderant, nec aliqua catholica matronarum, quas torquentes graui ſuſpendio, atq; ingentia pondera pedibus colligantes, laminaſq; ferreas ignitas, dorſo, uentri, mãmillis & lateribus, apponebant. Quibus inter ſupplicia dicebatur: Dicite, quoniã epiſcopi ueſtri uobiſcum concũbunt, & clerici ueſtri, quarũ acerbitate pœnarum plurimas tunc ſcimus extinctas. Aliæ, quæ remanſerunt, uentribus arcſcentibus factæ ſunt curuæ. Nitebatur enim ſemitam inuenire, per cuius aditũ publicam, ſicut fecit, perſecutionem faceret. Et ita faciẽs nul

lo modo inuestigare potuit, quomodo Christi Ecclesiam macularet.

Tollerantiam fidelium et impietatem tyranni.

QVibus autem prosequar fluminibus lachrymarum, quando episcopos, presbyteros, diaconos, & alia ecclesiæ membra, id est, quatuor milia nongentos septuaginta sex, ad exilium heremi destinauit? Inter quos erant podagrici quàmplurimi, alq; propter ætatem annosam, lumine temporali priuati. In quorum erat numero beatus Felix Abbiritanus episcopus, habens iam in episcopatu quadraginta quatuor annos, qui paralysi morbo percussus, nec sentiebat quicq̃, nec penitus loquebatur. De quo nos maxime cogitantes, quod non posset iumẽto portari, suggessimus, ut à suis rex peteretur, ut saltem eum prope moriturũ Carthagini esse iuberet, quod ad exilium nulla posset ratione perduci. Quibus ita fertur tyrannus cum furore dixisse: Si animali sedere non potest, iungantur boues indomiti, qui eum coligatum funibus trahendo pducant ubi ego præcepi. Quem ex transuerso, super burgonem uinctum, quasi quoddam lignum truncum, toto itinere portabamus. Congregan-

tur uniuersi in Siccensem & Larensem ciuitatem, ut illuc occurrentes Mauri, sibi traditos ad heremū perducerent. Superuenientes igitur comites duo, subtilitate dānabili, blandis sermonibus cum dei cōfessoribus agere cœperunt. Quid nobis, inquiunt, uidetur, ut ita pertinaces sitis, & domini nostri præceptis minime obtemperetis, qui esse poteritis in conspectu regis honorabiles, si eius festinetis facere uolūtatem? Stat im illis ingenti uociferatione clamantibus & dicentibus: Christiani sumus, catholici sumus, trinitatē unum deum inuiolabiliter confitemur. Includūtur grauiori et adhuc latiori custodiæ, ubi nobis dabatur copia introeundi, & uerbum admonitionis fratribus faciendi & diuina ministeria celebrandi. Ibi et infantuli fuere quàmplurimi, qui genitrices materno sequebantur affectu. Aliæ gaudentes, aliæ retrahentes, aliæ gaudebant se martyres peperisse, aliæ moliendo diluuio rebaptizationis nitebantur à confessione fidei reuocare, nullum tamen tunc blandimenta uicerunt, nec carnalis pietas aliquē inclinauit ad terram.

Factum sanctæ fœminæ.

NAm quædā tunc quæ fecerit anus, breuiter referre delectat: Dum ire i ge-

remus, cum dei exercitu comitantes, & magisfere noctibus ꝓmouimus, ꝓpter ardorē. Conſpicimus mulierculam ſacculum & alia ueſtimenta portantem, manu infantulū unū tenentem, atq; his ſermonibus conſolātem: Curre domine meus, uides uniuerſos ſanctos, quomodo pergunt, & feſtinant hilares ad coronam? quam nos cum increparemus, quod importuna uideretur, aut uiris, pro ſexu, iungi, aut exercitui Chriſti ſociari. Reſpondit: Benedicite, benedicite, etiā orate pro me, & pro iſto nepote paruulo meo, qa, & ſi peccatrix, filia ſum quondam Zurinanæ ciuitatis epiſcopi. Cui nos: Et quare ita abiecte ambulas, uel qua ratione de tam longo itinere huc pergere demonſtraris? Quæ reſpondit: Cum hoc paruulo ſeruo meo, ad exilium pergo, ne inueniat eum ſolum inimicus, & à uia ueritatis reuocet ad mortē. Ad hæc uerba repleti lachrymis, nihil dicere ualuimus, niſi ut uoluntas fieret dei. Sed ubi aduerſarius, quiam forte dicebat: Partiar ſpolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea, nullum potuit occupare, inquirit anguſta & teterrima loca, in quorum conclauibus dei exercitum coarctaret. Tunc eis etiam uiſitationis

humanæ negata est consolatio. Puniuntur & custodes fustibus, & grauiter affligũtur. Iactantur confessores Christi super inuicem angustia coarctante. unus super alium, ut agmina locustarum, & ut proprie dicatur, in grana precioſa frumentorum. In qua cõstipatione, secedendi ad naturale officium nulla ratio sinebat, sed locum stercoris & urinæ urgente necessitate, ibidem faciebant, ut ille tunc fœtor & horror uniuersa pœnarũ genera superaret.

Sanctißimi episcopi charitatem.

AD quos aliquando dando ingentia munera Mauris, dormientibus Vandalis, uix iam admissi sumus intrare. Qui introeuntes ueluti in gurgite luti, usq; ad genua cœpimus mergi. Illud tunc Hieremiæ uidentes completum: Qui nutriti sunt in crõceis, amplexati sunt stercora sua. Quid multa? Præcepti sunt undiq; perstrepẽtibus Mauris, ad iter ubi destinati fuerant, properare. Exeuntes itaq; die dominica, oblita habẽtes stercoribus uestimenta, facies, simul & capita, à Mauris tamen crudeliter minabantur, hymnum cum exultatione decantantes domino: Hæc est gloria in omnib⁹ sanctis eius. Aderat enim tunc ibi beatus pontifex Cy-

prianus, Vnzibilinensis episcopus, consolator egregius, qui singulos pio & paterno fouebat affectu, non sine fluminibus currentium lachrymarum, paratus pro fratribus animam ponere, & se ultroneum, si dimitteretur talibus passionibus, dare, qui totũ, quod habuit, egentibus fratribus in illa tunc necessitate expendit, quærebat enim occasionem, qualiter confessoribus sociaretur, ipso animo & uirtute confessor, qui postea per multas agones & squalores carceris, in exilio quod desiderabat cum exultatiõe, perrexit. Quantæ & tunc multitudines de diuersis regionibus & ciuitatibus, ad uisendos martyres dei concurrerint populorum, testantur uiæ uel semitæ, agmina uisentium nequaquam capientes, per uertices mõtium cõcurrentia, turba fidelium inæstimabilis descendebat, cereos manibus gestans, suosq; infantulos uestigijs martyrum proijciẽs, ita uoce clamabat: Quibus nos miseros relinquitis, dũ pergitis ad coronam? Qui hos baptizaturi sunt paruulos fonte aquæ perennis? Qui nobis pœnitentiæ manus collaturi sunt, et recõciliationis indulgentiam obstrictos peccatorũ uinculis soluturi? Quia dictum est: Quodcunq; solueritis super terram, erit solutum & incæ

lis. Qui nos ſolennibus orationibus ſepultu-
ri ſunt morientes? A quibus diuini ſacrificij
ritus exhibēdus eſt conſuctus? Vobiſcum et
nos libebat pergere, ſi liceret, ut tali modo
filios à patribus nulla neceſſitas ſepararet. In
his uocibus & laudibus, nullus iam pergere
admiſſus eſt conſolatorum, ſed arctabatur
multitudo ad currendum, ut ubi tunc Mau-
ris erat præparata, laborioſam caperemus
manſionem. Qui cum ſenes deficerēt, & alij
forte, & ſi iuuenes delicati, cœperunt primo
haſtilium cuſpidibus ad currendum, & lapi
dibus tundi, unde magis deficiētes amplius
laſſabantur. Poſtea uero imperatū eſt Mau-
ris, ut eos, qui ambulare nō poterant, ligatis
pedibus uelut cadauer animalis mortui, tra
herent per dura & aſpera loca, ubi primo ue
ſtimenta, poſtea ſingula membra carpeban
tur, quia per gladios acutos petrarū, hic ca-
put conterebatur, alibi fundebantur latera,
& ita inter trahētium manus ſpiritus exhala
bant. Quorum numerum colligere nec ua-
luimus, multitudine coercente. Extat tamen
per totum aggerem publicum uilis ſepultu
ra ſanctorum, loquentibus tumulis. Reliqui
habiliores ad ſolitudinis loca perueniunt,
in quibus collocati ad ueſcendum hordeum

ut iumenta, accipiunt. Vbi etiam uenenatorum animalium atq; ſcorpiorum tanta eſſe dicitur multitudo, ut ignorantibus incredibilis uideatur, quæ ſolo flatu etiam proculpo ſitos ueneni uirus infundat. Scorpio aũt per cuſſum nullum dicunt aliquando euaſiſſe. Quorum feritas uirulenta, uſq; ad præſens Chriſto defendente, nullum ſeruorũ eius do cetur nocuiſſe. Sed cum illi aluntur hordea ceis granis, poſtea & hoc ablatum eſt, quaſi non poſſet deus, qui pluerat patribus mãna, paſcere etiam tali exilio mãcipatos. Cogitat acriora aduerſus Eccleſiã dei, ut q mẽbra ali qua abſciderat, laniãdo pderet corpus. Nã die Aſcenſionis domini, legato Zenonis imperatoris, rege non præſente, legendum media eccleſia epiſcopo Eugenio direxit præceptum, tali tenore ſcriptum, quod etiam uere darĩs currentibus deſtinauit. Hunerychus rex Vandalorum & Alanorũ, uniuerſis epiſcopis homouſianis. Non ſemel, ſed ſæpius conſtat eſſe prohibitum, ut in ſortibus Vandalorum, ſacerdotes ueſtri conuentus minime celebrarent, nec ſua ſeditiõe animas ſubuerterent Chriſtianas. Quam ſpernentes rem, plurimi nunc ſunt reperti contra interdictum, Miſſas in ſortibus Vandalorum

facere, asserentes se integram regulam Chri
stianæ ac ueræ fidei tenere. Et quia in pro-
uincijs à deo nobis concessis, scandalũ esse
nolumus, ideoq; dei prouidentia cum cõsen
su sanctorum episcoporum nostrorum, hoc
nos statuisse cognoscite, ut ad diem kal. Ia-
nuariarum proxime futurarũ, omissa omni
formidinis excusatione, omnes Carthagini
conueniatis, ut de ratione fidei cum nostris
uenerabilibus episcopis possitis inire confli-
ctum, ut et fidem homousianorum, quam de
fenditis, diuersis scripturis proprie appro-
betis, quo possit agnosci, si integram fidem
teneatis. Huius autem edicti tenorem, uni-
uersis coëpiscopis tuis per uniuersam Afri-
cam constitutis direximus. Data sub die ter
tiodecimo kalen. Iulias, anno septimo Hune
rychi. Cognoscentes igitur qui aderamus
simulq; legẽtes, contritum est extemplo cor
nostrum, & contenebrati sunt oculi nostri.
Et uere tunc dies festi nostri conuersi sunt in
luctum, & cantica in lamentationem, dũ edi
cti tenor indicaret futuræ persecutionis fu-
rorem. Et præsertim ubi dixit: in prouincijs
nobis à deo concessis, scandalum esse noui-
mus. Tractatum est, quid fieret, nullum inue
nit remedium imminens calamitas. Tũc san

ctoEugenio rationabilis uisa causa est, si cor barbarorum molliretur suggerendo, si legẽ da daretur tali textu epistola conscripta. Quotiens animæ, uel uitæ æternæ, ac fidei Christianæ causa tractatur, intrepide (sicut regalis prouidentia compromisit) necesse est, quod competit, suggeratur. Nuper potestas regia per uicarium notarium, paruitatẽ meam admonere dignata est, qui nobis merito religionis ac fidei præcepta eius in ecclesia, præsente clero & plebe recensuit. Ex cuius tenore cognouimus ad omnes coẽpiscopos prçceptum regium similiter emanasse, ut die constituta pro disputatione fidei ueniatur, qđ nos uenerabiliter accepisse suggessimus. Cui præfato notario humilitas mea suggessit, debere etiam transmarinarum omnium partium, qui nobiscum sunt, una religiõe uel cõmunione consortes agnoscere, quia ubiq; regno obtemperant uniuersi, maxime quod totius mundi sit causa, non specialis prouinciarum Africanarum tantummodo. Et quia sancto responso suggerendum me promisi oblaturũ, merito suppliciter precor magnificentiam tuam, ut ad domini et clementissimi regis aures memoratam suggestionem perferre digneris, quo eius clementia dignãter

agnoſcat, nos diſputationem legis, cum adiutorio dei nullatenus declinare, uel fugere, ſed ſine uniuerſitatis aſſenſu nos non debere aſſerendæ fidei noſtræ cauſas aſſumere. Propter quod petimus, ut benignitate, qua tantus eſt, & iuſtitia ſapientiæ ſuæ, dignetur annuere. Data ab Eugenio epiſcopo Eccleſiæ catholicæ Carthaginenſis.

SED CVM ſuggeſtio hæc à beato Eugenio offerretur, ille, qui iam cõceperat dolorem, urgebatur, ut iniquitatẽ grauius parturiret, ita ſancto Eugenio epiſcopo per Cubadum præpoſitum regni ſui mandaſſe uidetur: Subde mihi uniuerſum orbem terrarũ utſub poteſtate mea totus mundus redigatur, & facio Euangelium, quod dicis. Ad qđ beatus Eugenius reſpõdit, ut potuit: Quod rationem, inquit, non habet, dici non debuit. Sic eſt hoc, ac ſi modo dicatur homini, ut per auras feratur, & uolet, quod moris non eſt humanæ naturæ. Dixi enim: Si noſtram fidem, quæ una & uera eſt fides, poteſtas regis agnoſcere deſiderat, mittat ad amicos ſuos. Scribam & ego fratribus meis, ut ueniãt epiſcopi noſtri, qui uobis nobiſcum, cõmunem fidem noſtram ualeant demonſtrare. Et præcipuè eccleſiæ Romanæ, quæ caput

est omnium ecclesiarum. Ad hæc Cubadus: Ergo tu & dominus meus rex similes estis? Eugenius episcopus dixit: Ego regi similis non sum, sed dixi: Si ueram cognoscere desiderat fidem, scribat amicis suis, ut dirigãt episcopos nostros catholicos, & ego scribã episcopis meis, qa catholicæ fidei uniuersæ una est causa. Hoc agebat Eugenius, non qđ deessent in Africa, qui aduersariorum obiecta refellerent, sed ut illi uenirent, qui alieni ab eorum dominatu, maiorem fiduciam libertatis haberent, pariterq; oppressionis nostræ calumniam uniuersis populis nunciarent. Ille autẽ qui nectebat dolos, audire noluit rationes, agens argumentationibus crebris, ut quoscunq; episcoporum audierat eruditos, uarijs insectationibus agitaret. Iam ad exilium Vinianense, Secundum, Donatianũ, impositis centum quinquaginta fustibus, miserat episcopos, nec non & sub Fetulense præsidium, Verum, Acutum. Tunc & uenerabiles Mansuetum, Germanũ, Fusculũ, & multos alios, fustigauit. Dum hæc geruntur, imperat, ut nostræ religionis, illoq; mensa nullum communem haberẽt, neq; cũ catholicis omnino uescerentur. Quæ res non ipsis aliquod præstitit beneficium, sed nobis maxi-

mum contulit lucrū. Nam si sermo eorum, dicente Apostolo, sicut cancer consueuit serpere, quāto magis cōmunis mensa ciborum potuit inquinare? cum dicat idem Apostolus: cū nefario nec cibū habere cōmunem. Sed cum ignis iam persecutionis accenderetur, & flamma infestantis ubiq; regis arderet, ostendit dominus noster miraculū per seruum suum fidelem, quod prætirire nō debeo. Fuit in eadem ciuitate, id est, Carthagini, cæcus quidam huius ciuitatis notissimus nomine Felix.

Quod in die sacro epiphaniarum apud antiquos baptismum fieret.

HIc uisitatur à domino, diciturq; ei nocte per uisum: Fuge & uade ad seruū meum Eugenium episcopum, & dices ei, quia ego te ad eum direxi. Et illa hora, qua benedixit fontem, ut baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, & aperientur, & uidebis lumē. Qui cum tali uisione cōmonitus est, cogitat apud se, quomodo assolet deludi per somniū, surgere noluit cæcus, sed cum iterum mergeretur somno, similiter ut ad Eugenium pergeret, cōpellitur. Rursum negligit. Tertioq; festinanter & grauiter increpatur. Excitat puerum, qui ei solitus erat

manum porrigere, pergit ueloci agilitate ad Fausti basilicam, orat, & ueniens cum ingentibus lachrymis, suggerit cuidam diacono nomine Peregrino, ut eum episcopo nuncia ret, indicans se habere aliquod secreti genus intimandum. Audiens episcopus, iussit hominem introire, iam enim ob celebritatē festiuitatis, hymni nocturni p totā ecclesiam, canente populo, increpabant. Indicat cæcus antistiti ordinem uisionis suæ, dixitquè illi: Non te dimittā, nisi mihi, sicut à dño meo iussus es, reddideris oculos meos. Cui Eugenius sanctus: Recede à me frater, peccator sum & indignus, & super omnes homines delinquentes, utpote, qui & in hæc tempora seruatus sum. Ille autem tenens genua eius, aliud non dicebat, nisi illud, quod iam dixerat, sicut iussum est, redde mihi oculos meos. Attendens quoq; Eugenius inuerecundam crudelitatem, & quia iam tempus urgebat, pergit cum eo, comitante officio clericorum, ad fontem, ubi flexis genibus, cum ingenti gemitu, pulsans singultibus cælum, crispātem benedixit aquæ fontem. Et cum cōpleta surrexisset oratione, ita cæco respondit: Iam tibi dixi frater Felix, peccator homo ego sum sed qui te dignatus est uisitare, præstet tibi

ſecundum fidem tuam, & aperiat oculos tu os, ſimulq; uexillo crucis conſignās oculos eius, ſtatim cæcus uiſum, domino reddente, recepit. Quem ſecum, quouſq; baptizaretur ibi detinuit. Ob hoc tantum miraculum populus excitatus, comprimere uirum, qui receperat lumen, cœperunt, fit poſtea manifeſtum Eccleſiæ uniuerſæ. It ad altare cũ Eugenio, ſicut mos eſt, qui fuerat cæcus, ſuæ ſalutis oblationem domino redditurus, quã epiſcopus accipiẽs, altari impoſuit, fit ſtrepitus, gaudio prouocante, inæſtimabilis populorum. Statim nuncius pergit ad tyrannũ. Rapitur Felix, inquiritur ab eo, quid factum ſit qualiterq; recepit lumen. Dixit ille ex ordine totum, dicuntq; Arrianorũ epiſcopi: hoc Eugenius per maleficia fecit. Et quia oppreſſione confuſi, lumen non potuerunt nubilare, eo quod Felix uniuerſæ ciuitati manifeſtus eſſet & notus, tamẽ uolebant eum, ſi fas eſſet necare, quomodo Iudæi ſuſcitatum Lazarum cupiebant occidere. Appropinquabat iam futurus dies ille & calumnioſus februariarum kalen. ab eodem ſtatutus. Cõueniunt non ſolum uniuerſæ Africæ, uerũ inſularum multarũ epiſcopi, afflictiõe & mœrore cõfecti. Fit ſilentiũ diebus multis, quo-

usq; peritos, quousq; et doctissimos uiros interim separaret, calūnijs appositis necādos.

Incenditur sanctus Letus.

NAm unum ex ipso choro doctorū, nomine Letū, strenuū atq; doctissimum uirum, post diuturnos carceris squalores incendio concremauit, æstimās, quod tali exemplo timorē incuteret reliquis, & læsurā. Tandem uenitur ad disputationis conflictū, ad locum scilicet, quem elegerant aduersarij. Vitantes igitur nostri uociferationis tumultus, ne forte postmodum Arriani dicerent, quod eos aliquis nostrorum oppresserit, deligunt de sese nostri, qui pro omnibus responderent. Collocat sibi Cyrillus cū suis satellitib⁹, in loco excelso superbissimū thronum, astantibus nobis. Dixerūtq; nostri episcopi: Illò est semper tractanda locutio, ubi superba nō dominatur potestatis elatio, sed ex consensu cōmuni conuenitur, ut cognitoribus discernētibus, partibus agentibus, qd' uerum est, agnoscatur, nunc autem quis erit cognitor, quis examinatur, ut libra iustitiæ, aut bene prolata confirmet, aut improbe assumpta refellat? Et cum talia & alia dicerēt, notarius regis respondit: Patriarcha Cyrillus dixit, aliquos uestrum superbe & illicite

ſibi nomen catholicorum uſurpaſſe. Noſtri teſtati dixerunt: Legatur nobis, quo concedente iſtud ſibi Cyrillus nomen aſſumpſit. Et exinde ſtrepitum excitantes, calumniari aduerſarij cœperunt. Et quia hoc noſtri petebant, ut ſaltem ſi examinare non licet prudenti multitudini, uel hæc expectare liceret. Iubentur uniuerſi filij catholicæ eccleſiæ, qui aderant, centenis fuſtibus cædi. Tunc clamare cœpit beatus Euſebius: Videat deus uim, quam patimur, agnoſcat afflictionem, quam à perſecutoribus ſuſtinemus. Cõuerſiq; noſtri Cyrillo dixerunt: Propone quod diſponis. Cyrillus dixit: neſcio latine. Noſtri dixerunt epiſcopi: Semper te latine eſſe locutum manifeſte nouimus, modo excuſare non debes, præſertim, quia tu huius rei incendium ſuſcitaſti. Et uidens catholicos epiſcopos ad conflictũ magis fuiſſe paratos, omnino uolebat audientiam diuerſis cauillationibus declinare. Quod ante noſtri præuidentes, libellum de fide ſcripſerunt, ſatis decenter ſuffici enterq; conſcriptum, dicentes: Si noſtram fidem cognoſcere deſideratis, hæc eſt fides, quam tenemus.

Gennadius in catalogo uirorum illuſtrium.

EVgenius Carthaginensis, Africæ ciuitatis episcopus, & confessor publicus, admonitus ab Hunerycho Vandalorum rege, catholicæ fidei expositionem, & maxime uerbi homousiõ proprietatem differere, cũ cõsensu omnium Africæ & Mauritaniæ, & Sardiniæ atq; Cursicæ episcoporum & confessorum, qui in catholica Ecclesia permanserant, composuit librum fidei, sanctarũ scripturarum sententijs communitum, quẽ per collegas confessionis suæ porrexit. Iã uero asportandus pro fidelis linguæ remuneratione in exilium, epistolas uelut commonitorias fidei, & unius sacri & conseruandi baptismatis, ouibꝰ suis, quasi pastor sollicitus, dereliquit. Altercationes quoq;, quas cum Arrianorum præsulibus, per internuncios habuit, conscripsit, & regi legendas, per maiorem domus eius transmisit. Similiter & preces pro quiete Christianorum, eidem uelut apologias obtulit. Viuere adhuc ad confirmationem Ecclesiæ dicitur.

Liber catholicæ fidei.

REgali imperio, fidei catholicæ, quã tenemus, præcipimur reddere rationẽ. Ideoq; aggredimur pro nostrarum uirium mediocritate, dei adiutorio, fidem, quã credi

mus,uel prædicamus,breuiter intimare. Primum igitur de unitate ſubſtantiæ patris & filij,quod Græci homouſion dicunt, exponendū nobis eſſe cognoſcimꝰ. Patrē ergo & Filium & Spiritumſanctum,ita in unitate deitatis profitemur, ut & patrem in ſua proprietate perſonæ ſubſiſtere,& filium nihilominus in propria extare perſona,atq; ſpiritum ſanctum perſonæ ſuæ proprietatem retinere,fidei confeſſione fateamur. Non eundem aſſerentes patrem quē filium,neq; filiū confitentes, qui pater ſit,aut ſpirituſſanctus, neq; ſpiritumſanctum accipimus, ut aut pater ſit,aut filius,ſed ingenitum patrem, & de patre genitum filium,& de patre & filio procedentem ſpiritumſanctum, unius credimus eſſe ſubſtantiæ & eſſentiæ, quia ingeniti patris,& geniti filij,et procedentis ſpirituſſancti una eſt deitas, tres uero perſonarum proprietates. Et quia contra hanc catholicā, uel apoſtolicam fidē, exorta hæreſis,nouitatem quandam induxerat, aſſerens:filium non de patris ſubſtātia genitum, ſed ex nullis extantibus,id eſt,ex nihilo ſubſtitiſſe,ad hanc impietatis profeſſionem, quæ contra fidē emerſerat,refellendam & penitus abolendam homouſiō ſermo Græcus poſitus eſt, quod in-

terpretatur unius substantiæ uel essentiæ, significans filium, non ex ullis extantibus nec alia substãtia, sed de patre natum esse. Qui ergo putat homousion auferendum, ex nihilo uult asserere filium extitisse. Sed si ex nihilo non est, ex patre sine dubio est. Et recte homousion, unius cum patre substantiæ filius est. Expatre autem esse, id est, unius cum patre substãtiæ, his testimoniis approbatur Apostolo dicente: Qui cum sit splẽdor gloriæ & figura substantiæ eius, & substantiam noluerunt audire hæretici. Dixit alius propheta: Non audierunt uocem substantiæ. Quam uocem substantiæ contemptam, terribili contestatione increpans, ad eundẽ prophetam loquitur, dicens: Super montem accipe planctum, & super semitam deserti tactum, quia defecerunt, eo quod non sint homines, nec audierunt uocem substantiæ, à uolatilib⁹ cæli usq; ad pecora. Et rursum eos qui à professione unius substantiæ declinantes, in eadem fidei substantia stare noluerũt. Increpat deus: Si stetissent in substantia mea auertissem utiq; eos à uia sua mala, & pessimis cogitationibus suis. Et iterum non extra substantiam patris filium confitendum, sed in eadem fidei mente contuendum apertiss

me declaratur, dum dicitur per prophetã: qui ſtetit in ſubſtantia domini, & uidit uerbum eius. Patris ergo ſubſtantiam filiũ eſſe, propheticis iam olim deſtinatum eſt oraculis, dicente Salomone: Subſtantiam enim et dulcedinem tuam, quam in filio habes, oſtẽdebas, quia in figura & imagine panis cæleſtis, populo Iſraël cælitus apparet profluxiſſe. Quod ipſe dominus in Euangelio expoſuit dicens: Nõ Moyſes dedit uobis panem de cælo, ſe utiq; panem eſſe definiens, cũ dicit: Ego ſum panis uiuus, qui de cælo deſcendi. De quo etiam propheta dicit. Panem angelorum manducauit homo. Nam quo adhuc euidentius patris & filij ſubſtantiæ unitas, & diuinitatis æqualitas oſtendatur, ipſe in Euangelio dicit. Ego in patre, & pater in me eſt, & ego & pater unum ſumus. Quod non ad unitatem tantũmodo uoluntatis, ſed ad unam refertur, eandemq; ſubſtantiam, ga non dicit, ego & pater unum uolumus, ſed unum ſumus. Ex eo enim quod ſunt, non eo tantum, quod uolũt, paternæ unitatis declaratur aſſertio. Idem Ioannes Euangeliſta dicit. Propterea ergo quærebãt eum Iudæi interficere, quia non ſolum ſoluebat ſabbatũ, ſed & patrem ſuum dicebat deum, æqualem

ſe faciens deo. Quod utiq; non ad Iudæos eſt referendum, quia Euangeliſta ueraciter de filio dixit, quia æqualem deo ſe faciebat. Item in Euangelio ſcriptum eſt. Quæcunq; pater facit, eadem & filius facit. Similiter. Et ſicut pater ſuſcitat mortuos, & uiuificat, ita & filius, quos uult, uiuificat. Item, ut omnes honorificent filiũ, ſicut honorificãt patrem. AEqualis enim honor, nõ niſi æqualibus exhibetur. Item, ibi filius ad patrem dicit. Oĩa mea tua ſunt, & tua mea ſunt. Item, Philippe, qui uidet me, uidet & patrem. Hoc nõ dixiſſet, niſi patri per oĩa fuiſſet æqualis. Item ipſe dominus dicit. Creditis in deũ, & in me credite. Et ut adhuc unitatem æqualitatis demonſtraret, ait: Nemo nouit filium niſi pater, neq; patrem niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Et ſicut filius, cui uult, reuelat patrem, ita & pater reuelat filium, ſicut ipſe Petro ait: confitenti eum Chriſtum filium dei uiui. Beatus es, inquit, Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cælis. Et iterum filius dicit, Nemo uenit ad patrem, niſi per me, nemo uenit ad me, niſi pater attraxerit eum, unde claret æqualitatem patris & filij ad ſe inuicem credentes adducere. Item dicitur, Si cogno-

uiſſetis me,& patrem meum utiq; cognouiſſetis,& a modo cognoſcetis eum. Verũquia duas in filio profitemur naturas, id eſt, deĩ uerum,& hominem uerum, corpus & animam habentem.

Veriſſimam & pijſſimam confeſſionem fidei.

QVicquid ergo excellentis ſublimitatis potentiæ de eo referunt ſcripturæ, ad memorandam eius diuinitatem tribuẽdum ſentimus. Et quicquid infra honorẽ cæleſtis potentiæ,de eodem humilius narratur, non uerbo dei,ſed homini reputamus aſſumpto. Secundum diuinitatem ergo eſt hoc, quod ſuperius diximus,ubi ait:Ego & pater unum ſumus,& qui uidet me, uidet & patrem, & omnia quæcunq; pater facit, eadem & filius facit, ſimiliter uel cætera,quæ ſuperius continentur. Illa uero, quæ de eo ſecundum hominem referũtur,iſta ſunt, Pater maior me eſt. Et,non ueni facere uoluntatem meã,ſed eius qui miſit me patris. Et,Pater, ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte. Vel cum de cruce dicit. Deus deus meus, quare me dereliqſti. Et tamen ex perſona filij prophęta dicit: De uentre matris meæ deus meus es tu,uel cum minor angelis iudicatur. Et quàm plura his ſi-

milia, quę studio breuitatis non inseruimus. Filius enim dei nullis conditionum necessitatibus astrictus, sed libera diuinitatis potentia. Ita q̃ nostra sunt, mirabili pietate assumpsit, ut à suis quæ diuina sunt, omnino nõ deteriterit, quia diuinitas nec augmentũ admittit, nec patitur detrimentũ, unde gratias agimus domino nostro Iesu Christo, qui ꝓpter nostram salutem descendit, sua passione nos redemit, sua morte uiuificauit. Qui sedẽs ad dexterã patris uenturus est iudicare uiuos et mortuos, iustis æternæ uitæ præmium largiturus, impijs atq; incredulis merita supplicia redditurus.

Fidelissima confessio.

PRofitemur itaq; patrem de seipso, hoc est, de eo, quod ipse est, sempiterne atq; ineffabiliter filium genuisse, filium nõ extrinsecus, non ex nihilo, nõ ex alia subiacẽte materia, sed ex deo natum esse. Et qui de deo natus est, nõ aliud est, quàm id quod pater est: Et idcireo unius substantiæ est, quia ueritas natiuitatis diuersitatem non admittit generis, nam si à patre alterius substantiæ esset, non esset uerus filius, sicut Ioannes ait, ut simus in uero filio eius. Non est etiã degener, quia uerus deus de deo natus est uero. Sicut

Idem Ioannes Euangelista persequitur, dicens: Hic est uerus deus, & uita æterna. Et ipse dominus in Euangelio: Ego sum uia & ueritas & uita. Ergo si aliunde substantiā non habet, sed de patre habet, unius substātiæ cū patre est. Sed si unius substantiæ non est, ergo non de patre, sed aliunde est. Qui unde est, inde substantiam habeat necesse est. Oia ex nihilo, filius uero de patre. Ex duobus eligat quisq; quod uelit, aut det ei substantiam de patre, aut fateatur ex nihilo substitisse. Sed propheticum forsitan obijcitur testimonium: Generationē aūt eius quis enarrabit? Cum ergo non dixerim, enarra mihi modū, uel qualitatem diuinæ generationis, & tanti secreti arcanū humanis uerbis enuncia, quādo, unde natus sit requisiui, diuina enim generatio inenarrabilis est, non ignorabilis, id est, non ignoratur, unde fit, ut & pater de se ipso genuisse, & filius de patre se natum, sæpissime protestetur, qđ nullus omnino ambigit Christianus, sicut in euangelio demonstratur, ipso filio dicente. Qui autem nō credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filij dei. Item Ioannes in euangelio dicit. Et uidimus gloriā eius, gloriā quasi unigeniti à patre. Ergo professionem

noſtram breui ſermone concludimus, Si ue re de patre natus eſt, unius ſubſtantiæ eſt, & uerus filius eſt. Si unius ſubſtantiæ non eſt, nec uerus deus eſt. Aut ſi uerus deus eſt, & tamen de patris ſubſtantia non eſt, ingenitus ergo & ipſe eſt. Sed quia ingenitus non eſt, factura ergo eſt, ut putetur aliunde ſubſiſtens, ſi de patris ſubſtantia non eſt. Sed hoc abſit ita credere. Nos enim unius ſubſtãtiæ cum patre filium profitemur, deteſtantes Sabellianam hæreſim, quæ ita trinitatem confundit, ut eũdem dicat eſſe Spiritũſanctum, non ſeruãs tres in unitate perſonas. Sed forſitan obiicitur, cum ingenitus ſit pater, genitus filius, non fieri unam poſſe, eandemq; eſſe ſubſtantiam, geniti ac ingeniti. Cum utiq; ſi ut ingenitus pater eſt, ingenitus eſſet & filius, tunc magis diuerſa poſſet eſſe ſubſtantia, quia unuſquiſq; à ſeipſo ſubſiſtens, communem ſubſtantiam cum altero non haberet. Cum uero ingenitus pater de ſeipſo, id eſt, de eo, quod ipſe eſt, ſi quidem illud aut dici poteſt, immo, quia ut dici omnino nõ poteſt, filium generauit, apparet unam eſſe geniti gignentisq; ſubſtantiam, quia deum de deo, lumen de lumine, filium eſſe ueraciter profitemur. Nam lucem eſſe patrẽ Ioannes

apoſtolus teſtis eſt, dicens. Deus lux eſt, & tenebræ in eo nõ ſunt ullæ. Item de filio ait, Et uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eã non comprehenderũt. Et infra, Erat lumen uerum, quod illuminat omnem hominem uenientem in hũc mundum, unde patrem & filiũ apparet unius ſubſtantiæ, dum lucis & luminis diuerſa nõ poteſt eſſe ſubſtantia, eius ſcilicet, quæ de ſe gignit, & quæ de gignente conſtat. Denique ne aliquis inter patrem & filiũ diuerſitatem naturalis luminis introducat, ideo Apoſtolus de eodem filio dicit, Qui cum ſit ſplẽdor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius, in quo euidentius & coëternus patri, & inſeparabilis à patre, & unius cum deo eſſe ſubſtantiæ per docetur, dum lucis ſplendor ſemper eſt coëternus, dum ſplendor à lumine nunquã eſt ſeparatus, dum ſplẽdor à luce natura ac ſubſtantia nunquam poteſt eſſe diuerſus. Qui enim ſplendor lucis eſt & uirtus, ſempiternus ergo propter uirtutis æternitatem inſeparabilis, propter claritudinis unitatem. Et hoc eſt, quod nos fideliter profitemur, filiũ de patris ſubſtantia natum, ſicut ipſe pater deus, apertiſſimum perhibet teſtimonium, qui ut de ſua ineffabili naturæ ſubſtãtia pro-

prium se filium genuisse monstraret, ad instruendam fragilitatis nostræ imperitiam, ut nos ex uisibilibus ad inuisibilia erigeret, terrenæ natiuitatis uocabulū, ad diuinæ unitatis traxit exemplum, dicens. Ex utero ante luciferum genui te. Quid clarius, quid luculentius affari diuinitas dignaretur? Quibus indicijs, quibus existētium rerum exemplis proprietatem generatiōis ostenderet? Non quia corporeis compositus est membris, aut aliquibus artuum lineamētis distinctus, sed quia nos aliter ueritatem diuinæ generationis, auditu mentis percipere non possemus, nisi humani uteri prouocaremur uocabulo, ut ambigi ultra non possit, de dei substantia natum esse, quem constat de patris extitisse. Credētes ergo deum patrem de sua substantia, inseparabiliter filium generasse, non dicimus ipsam substantiam, aut diuersam esse in filio, aut diminutionem pertulisse in parte, et per hoc passionis potuisse uicio subiacere. Absit ēm à nobis, ut talia uel opinemur, uel cogitemus de deo, quia nos perfectū patrem perfectum filium, sine sui diminutione, sine aliqua deriuatione, sine omni omnino passionis infirmitate, genuisse fideliter profitemur. Nā qui obijcit deo, quia si de seipso ge

nuit, diuisionis uicium pertulit, potest dicere, quia & laborem sensit, quando uniuersa cõdidit. Et ob hoc die septima ab omni opere suo requieuit. Sed nec in generando de seipso passionem uel diminutionẽ aliquam sensit, nec condendo uniuersa fatigationem aliquam pertulit. Namq; ut euidẽtius nobis diuinæ generationis passibilitas insinuaretur, deum ex deo, lumen de lumine, filium, profitendum accepimus. Si ergo in efficientia uisibilis luminis mundi, tale aliquid inuenitur, ut lumen ex lumine sumptum, & per quandam generationis natiuitatẽ exortum, ipsam luminis generans originem, quam ex se lumen aliud dedit, nec minui, nec ullum omnino detrimentũ ministrati ex se luminis perpeti potuit, quanto rectius & melius de diuini & ineffabilis luminis natura credendum est, quòd ex seipsa lumen generãs minui omnino non potuit, unde æqualis est patri filius, non natus ex tempore, sed gignenti coæternus, sicut splendor ab igne genitus gignenti manifestatur coæuus. Hæc de patris & filij æqualitate, uel de substantiæ unitate, quantũ breuitatis ratio finit, dixisse sufficiat. Superest, ut aliquid de Spiritusancto, quem patri ac filio cõsubstantialẽ credimus,

coæqualem & coæternum, dicamus, & testi
monijs approbemus. Licet enim hæc uene-
randa trinitas personis ac nominibus distin
cta sit, non tamen ob hoc à se atq; à sua æter
nitate discrepare credenda est, sed manēs an
te secula diuinitas, in patre & filio & spiritu-
sancto, uere ac proprie creditur, nec diuidi
nostris interpretationib⁹ potest, nec rursus
uersa in unam personam trinitas ipsa cōfun
di, hæc fides plena, hæc nostra credulitas
est. Idcirco deos nec existimari patimur, sed
unum deum in prædictis personis ac nomi-
nibus confitemur. Inenarrabilis enim diuini
tas, ut non concludi aut apprehendi uocabu
lis possit, inter nominatas personas sese præ
stitit, sed ut quod erat, esse noscere tur, intel-
ligentiam sui ex patre, quam capere huma-
næ mentis angustiæ non prævalebant, cre-
dentibus dedit, propheta dicente: Nisi cre-
dideritis, non intelligetis. Vna est ergo trini
tatis deitas, & in huius uocabuli appellatiōe
est unius substantiæ, non unius personæ. Ad
quam rem fidelibus comprobandā in testi-
monium sui, diuinitas ipsa multis & creber
rimis contestationibus semper affuit. Lice-
at ergo breuitatis compendio ex multis pau
ca proferre, quoniā uera probatio maiesta-

tis, tametsi habet pluralitatem testimoniorum, pluralitate tamē non indiget, quoniā credēti pauca sufficiūt. Primū igitur de ueteris Testamenti libris, postmodum etiā noui, patrē & filium & spiritumsanctū, unius docebimus esse substantiæ. Libro Genesis sic incho ante: In principio creauit deus cælum & terram, terra autem erat inuisibilis & incōposita, & tenebræ erāt super abyssum, & spiritus dei ferebatur super aquas. Illud principium, qui Iudæis, quis esset interrogantibus, dicit: Principium, qui & loquor uobis: Superferebatur autem dei spiritus super aquas, utpote creator, uirtute potentiæ suæ continēs creaturam, ut ex his uiua omnia producturus ipse rudibus elemētis, ignis fomēta ꝓprij præstaret, Et iam tunc mysterio emicante baptismatis, uirtutē sanctificationis, liquoris natura perciperet, primaq; ad uitam corpora animata produceret. Dauid proinde deo aspirante testat: Verbo domini cæli firmati sunt & spiritu oris eius omnis uirtus eorū. Vide quàm plana sit breuitas, & quàm clare in sacramento unitas recurrit. Patrē in domino, uerbi significatione, filium ponēs, spiritumsanctum ex ore altissimi nūcupauit. Et ne uocis æditio acciperetur in uerbo, cælos asse-

rit per eum eſſe confirmatos. Ne aũt flatus in ſpiritu reputetur, cęleſtis in eo uirtutis plenitudinẽ demonſtrauit, nam ubi uirtus, ibi neceſſe eſt perſona ſubſiſtens, ubi omnis nõ ablata à patre & filio eſt, ſed cõſummata ſeruatur in ſpiritu ſancto. Non ut ſolus habeat quod in patre & filio eſt, ſed totum cum utroque habeat. Et iterum, cum de uocatione gentium Dominus loqueretur, intra unum diuinitatis nomen, ſpiritum ſanctum prædicans ait. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris & filij & ſpiritu ſancti. Et iterum, cæleſtia Corinthijs prędicando Apoſtolus, hæc ſubdidit: Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas dei, & cõmunicatio ſancti ſpiritus ſit cũ omnibus uobis. Et ut apertius in hac trinitate, unitatẽ ſubſtantiæ fateamur, illud etiam nobis eſt intuendum, quomodo deus, cum de mundi & hominis creatione diſponeret, ſacramentũ trinitatis oſtenderet, dicens: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Profert æqualitatem, diſtinctiões perſonarum inſinuat, ut in eodem trinitatis ſit aperta cognitio, in quo nec pluralitas cauſa eſt, nec ſimilitudo diſſentiens, dum & conſequentia ſic loquuntur: Et dixit deus, & fecit,

& benedixit deus. Et neceſſe eſt, ut creationis totius autor deus unus ſit. Quam fidei rationē antiqua deniq; per Moſen benedictio pandit & comprobat, qua benedicere populum ſacramēto trinæ inuocationis iubetur. Ait enim deus ad Moſen: Sic benedices populum, & ego benedicam illos. Benedicat te dominus, & cuſtodiat te. Illuminet faciē ſuam dominus ſuper te, & miſereatur tibi. Attollat dñs faciem ſuam ſuper te, & det tibi pacem. Quod hoc ipſum propheta Dauid confirmat dicens: Benedicat nos deus deus noſter, benedicat nos deus, & metuant eū oēs fines terræ. Quam trinitatis unitatem ſupnæ angelorum uirtutes hymno uenerantur, & ter numero, ſanctus, ſanctus, ſanctus dominus Sabaoth, indeſinenti cantātes ore, in unius faſtigio dominationis gloriam exaltant. Quod ut adhuc apertius fidelium ſenſib⁹ inculcetur, cæleſtium myſteriorū conſciū producimus Paulum. Ait enim: Diuiſiones donationum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſiones operationum ſunt, idē uero deus, qui operatur oīa in omnibus &c. Has diuiſionū differentias pro qualitate ac merito participantiū ſpiritū ſanctum docuit operari, & ut ſic ipſarum gratiarū differentias partiretur,

in ultimis intulit dicens, Hæc aũt oĩa operatur unus atq; idẽ ſpiritus, diuidens propria unicuiq;, prout uult. Vnde nullus ambiguitatis relinquitur locus, quin clareat ſpiritum ſanctum, & deum eſſe, & ſuæ uolũtatis autorem, qui cuncta operari, & ſecundum propriæ uoluntatis arbitrium, diuinæ diſpenſationis dona largiri apertiſſime demõſtratur. Quia ubi uoluntaria gratiarũ diſtributio p̃dicatur, non poteſt uideri conditio ſeruitutis. In creatura enim ſeruitus intelligẽda eſt, in trinitate uero dominatio ac liberras. Et ut adhuc luce clarius unius diuinitatis eſſe cum patre & filio, ſpiritum ſanctũ doceamus, Ioannis Euangeliſtæ teſtimonio cõprobatur, ait namq;, Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in cælo, pater & filius & ſpiritus, & hi tres unum ſunt. Nunqd ait tres in differẽtiæ qualitate, ſeiuncti, aut quilibet, diuerſitatum gradibus longo ſeparationis interuallo diuiſi, ſed inquit, unũ ſunt. Vt aũt magis magisq; adhuc ſpirituſſancti cum patre & filio una dignitas, in creandis rebus oĩbus, demõſtretur, habes ſpiritum ſanctũ in libro Iob, Spiritus (inquit) diuin⁹ eſt, qui fecit me, & ſpiritus omnipotentis, qui docet me. Et Dauid dicit, Emitte ſpiritũ tuũ, & creabuntur, & reno-

uabis faciem terrę. Si creatio et renouatio per ſpiritum erit, ſine dubio & principium creationis ſine ſpiritu non fuit. Poſt creationem igitur oſtendamus, quod uiuificat etiam ſpiritusſanctus, ſicut pater & filius. Et quidē de perſona patris refert Apoſtolus, Teſtor in conſpectu dei, qui uiuificat oīa. Vitam uero dat Chriſtus, Oues (inquit) meæ uocem meam audiunt, & ego uitam æternam do illis. Viuificamur uero à ſancto ſpiritu, dicēte domino: Spiritus eſt, qui uiuificat. Ecce uiuificatio patris & filij & ſpirituſſancti, à patre demonſtrata eſt. Præſentiam omniū rerum in deo eſſe, & occultorum cognitionem, licet nemo Chriſtianus ignoret, tñ ex Danielis libro monſtrandum eſt. Deus (inquit) qui occultorum es cognitor, qui præſcius es oīum anteq̄ naſcātur. Hæc eadē præſciētia in Chriſto eſt, ſicut refert Euangeliſta, Ab initio aūt ſciebat Ieſus, quis eſſet eum traditurus, uel qui eſſent credentes in eum. Quod ſit aūt occultorū cognitor, ex hoc manifeſtū eſt, cum obſcura conſilia Iudæorū traducēs, dicebat: Quid cogitatis nequam in cordibus ueſtris? Similiter ſpiritus præſcire oīa nō dubitatur, qa ipſe ſcrutatur altitudines dei, & nouit oīa, quæ in deo ſunt, ſicut memorat Paulus, di-

rens: Spiritus enim oia ſcrutatur, etiã altitudines dei. Item in eodẽ loco: Sicut nemo ſcit hominũ, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus, qui in ipſo eſt, ita nemo ſcit, quæ ſunt dei, niſi ſpiritus dei. Ad intelligendũ uero potentiã ſpirituſſancti, pauca de terribilibus pferamus. Vendiderat poſſeſſionem (ut ſcriptũ eſt in actibus apoſtolorum) ſuppreſſa parte pecuniæ, doloſus diſcipulus, reliquum pro toto, ante pedes poſuit apoſtolorũ. Offendit ſpiritum ſanctum, quem putabat ſe latere. Sed qd ad eum dixit cõtinuo beatus Petrus? Anania, quare ſatanas repleuit cor tuũ, ut mentireris ſpirituiſancto? Et infra, Nõ es mẽtitus hominibus, ſed deo. Atq; ita percuſſus uirtute eĩ, cui mẽtiri uoluerat, expirauit. Quid hic uult beatus Petrus intelligi ſpiritũſanctum, utiq; clarum eſt, quod dicit: Non mentitus es hominibus, ſed deo, Manifeſtum eſt ergo, quoniã q mentitur ſpirituiſancto, deo mentitur. Et qui credit in ſpiritũſanctum, in deum credit. Tale aliquid, immo fortius qd dam, dominus in Euangelio oſtendit, dicẽs: Omne peccatũ et blaſphemia remittetur hominibus, qui aũt blaſphemauerit in ſpiritũſanctum, non remittetur ei, neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro. Ecce terribilis ſententia,

irremiſſibile dicit eſſe peccatum ei, qui in ſpi ritum ſanctum blaſphemauerit. Cõpara huic ſententiæ illud, quod ſcriptum eſt in libro Regũ: Si peccando peccauerit uir in uirum, orabunt pro eo; ſi aũt in deũ peccauerit, quis orabit pro eo? Si ergo blaſphemare in ſpiritum ſanctum, & peccare in deum, ſimile eſt, inexpiabile crimen eſt, Iam quantus ſit ſpiritus ſanctus, unuſquiſq; cognoſcit. Deus qđ ubiq; ſit præſens, & implet oĩa, ore diſcimus Eſaiæ: Ego (inquit) deus approximãs, & non de longinquo, ſi abſconditus fuerit homo in abſconditis, ergo ego nõ uidebo eum? nonne cælum & terrã ego impleo? Quid autem de ſua ubiq; præſentia ſaluator in Euangelio dicit? Vbicunq; (ait) fuerint duo uel tres collecti in nomine meo, ibi et ego ſum in medio eorum, de ſpiritu quoq; ſancto, quod adſit ubiq;, propheta dicit ex pſona dei: Ego in uobis, et ſpiritus meus ſtat in medio ueſtrũ. Et Salomon ait: Spiritus dñi repleuit orbem terrarum, & hoc quod cõtinet oĩa, ſciẽtiam habet uocis. Itẽ Dauid dicit. Quo ibo à ſpiritu tuo, aut quo à facie tua fugiam? ſi aſcẽdero in cælum, tu illic es, & ſi deſcẽdero ad infernum, ades. Si ſumpſero pẽnas meas in directum, & habitauero in extremis maris, et-

enim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Habitat deus in ſanctis ſuis ſecundum ꝓmiſſionem, qua dixerat: habitabo in illis. Quod uero dñs Ieſus dicit in Euangelio: Manete in me & ego in uobis, probat hoc Paulus, dicens, An neſcitis, quia Ieſus Chriſtus eſt in uobis? hoc aũt totũ in ſpiritus habitatione adimpletur, ſicut memorat Ioannes, Ex hoc, inquit, ſcimus, quia in nobis eſt, quia de ſpiritu ſuo dedit nobis. Similiter & Paulus: Neſcitis, quia templum dei eſtis, & ſpiritus dei habitat in uobis? Et iterꝝ dicit: Glorificate, & portate deum in corpore ueſtro. Quem deũ? utiq; ſpiritum ſanctũ, cuius templum eſſe uidemur. Nam & quod arguat pater, arguat filius, arguat ſpiritus ſanctus, ita probandum eſt, In pſalmo quadrageſimonono legitur: Peccatori aũt dicit deus, Et infra, arguam te, & ſtatuã contra faciẽ tuam. Dauid ſimiliter orãs, dicit ad Chriſtũ, Dñe ne in ira tua arguas me, quia ipſe uẽturus eſt, arguere omnẽ carnẽ. Quid uero de ſpiritu ſancto ipſe ſaluator in Euangelio dicit? Cum uenerit, inquit, paracletus, ille arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, et de iudicio. Hoc prævidẽs Dauid clamat ad dominum: Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie

tua fugiam? Nam & quod bonus pater, bonus filius, bonus spiritussanctus, sic probatur, dicit propheta, Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas. De se autem ipse unicus ait, Ego sum pastor bonus. De spiritu sancto quoq; Dauid in psalmo dicit, Spiritus tuus bonus deducet me in terrã rectam. Quis autem illam dignitatem spiritussancti possit tacere? Antiq em̃ prophetæ clamabant: Hæc dicit dominus deus, hãc uocem Christus adueniens in suam personam inuocauit, dicens: Ego aũt dico uobis. Noui autem prophetæ, qui clamant, sicut Agabus propheta in Actibus apostolorũ: Hæc dicit spiritussanctus. Et Paulus ad Timotheũ, Spiritus, inquit, manifeste dicit. Quæ uox omnino demonstrat indifferentiam trinitatis. Dicit se Paulus à deo patre & filio uocatum fuisse, & missum, non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Christum, & deum patrẽ. In Actibus apostolorum aũt, quod à Spiritusancto sit segregatus et missus. Sic em̃ scriptum est, Hæc dicit spiritussanctus, segregate mihi Barnabã & Saulum in opus, ad quod uocaui eos. Et paulo post inquit, ipsi missi à spiritusancto, descenderunt Seleuciã. Itẽ in eodem loco, Attẽdite uobis & uniuerso gre

gi, in quo uos ſpirituſſanctus conſtituit epiſcopos. Ne quis aũt ſpiritumſanctũ, quia paracletus dictus eſt, contemptibile aliqd æſtimet. Paracletus enim aduocatus eſt, uel potius conſolator, ſecundũ Latinam linguam. Quæ appellatio etiam filio dei cõmunis eſt, ſicut dicit Ioannes. Hæc, inquit, ſcribo uobis ne peccetis, ſed & ſi quis peccauerit, paracletum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtũ. Nam & ipſe dñs cũ dicit ad apoſtolos: alterũ paracletum mittet uobis Pater, ſine dubio cum dicit alterũ paracletum, ſe quoq; paracletum manifeſtat. Sed neq; à patre hoc nomen paracleti alienũ eſt, beneficentiæ enim nomen eſt, non naturæ. Deniq; ad Corinthios Paulus ita ſcribit: Benedictus deus & pater domini mei Ieſu Chriſti, patermiſericordiarum, & deus totius conſolationis, q conſolatur nos. Et cum conſolator dicitur pater, conſolator dicitur filius, conſolator etiã ſpirituſſanctus, una tñ nobis conſolatio à trinitate præſtatur, ſicut & una remiſſio peccatorum, Apoſtolo affirmante. Abluti, inquit, eſtis, & iuſtificati, & ſanctificati in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſpiritu dei noſtri. Poſſemus adhuc plura de diuinis ſcripturis proferre teſtimonia, quæ iuxta bapti

ſmi ſacramentum, trinitatem unius gloriæ, operationis ac potentiæ, manifeſtant, ſed qa ex his plenus eſt ſapientibus intellectus, multa præterimus ſtudio breuitatis. Faciamus ergo recapitulationem dictorũ noſtrorum. Si de patre procedit Spiritusſanctus, ſi liberat, ſi dominus eſt, & ſanctificat, ſi creat, cum patre & filio, & ſi uiuificat, ſi præſtantiam habet cũ patre & filio, ſi ubiq; eſt, & implet omnia, ſi habitat in electis, ſi arguit mũdum, ſi iudicat, ſi bonus & rectus eſt, ſi de eo clamatur: Hæc dicit ſpiritusſanctus, ſi ꝓphetas cõſtituit, ſi apoſtolos mittit, ſi epiſcopos præficit, ſi conſolator eſt, ſi cuncta diſpẽſat, prout uult, ſi abluit & iuſtificat, ſi tentatores ſuos interficit, ſi is, qui eum blaſphemauerit, non habet remiſſionem, neq; in hoc ſeculo neq; in futuro, quod utiq; deo proprium eſt, hæc cum ita ſint, cur de eo dubitatur, qđ deus ſit? cum eum operũ magnitudo, quod eſt ipſe, manifeſtet. Non utiq; alienus eſt à patris & filij maieſtate, qui non eſt ab operũ uirtute alienus. Fruſtra illi nomen diuinitatis negatur, cuius poteſtas non poteſt abnegari, fruſtra prohibeor eum cum patre & filio uenerari, quem exigor cum patre & filio confiteri. Si ille mihi cũ patre & filio confert

remissionem peccatorũ, confert sanctificationem, & uitam perpetuam, ingratus sum nimis & impñissimus, si cũ patre & filio non referam gloriã, aut si nõ est cũ patre & filio colendus, ergo nec confitendus in baptismo est. Si aũt omnimodo confitendus est, secundum dictum domini, & traditionẽ apostolorũ, ne semiplena sit fides, q̃s me poterit ab eius cultu prohibere? In quem enim iubeor credere, etiã ei debeo supplicare. Adorabo ergo patrem & filium, adorabo & spiritum sanctum, una eademq; ueneratione. Quod si quis durum hoc putat, audiat quomodo Dauid ad culturam dei fideles hortatur: Adorate, inquit, scabellũ pedum eius. Quanto magis sit religiosum, si adoretur eius, ille utiq; spiritus sanctus, quem beatus Petrus in tanta sublimitate prædicauit, dicens: Spiritu sancto misso de cælis, in quem cupiunt angeli prospicere. Si angeli eum cõcupiũt aspicere non denegemus eũ, ne forte & nobis dicatur, sicut dictum est ad Iudæos: Vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut & patres uestri. Quod si hæc tanta & talia non inclinent animum ad uenerandũ spiritũ sanctum, accipite adhuc aliquid fortius. Sic enim Paulus instruit prophetas Ecclesiæ, in quibus utiq;

& per quos ſpirituſſanctus loquebatur: Si, inquit, omnes prophetauerint, intret aũt aliqs infidelis aut idiota, cõuincitur ab omnibus, occulta quoq; cordis eius manifeſta ſunt, & tunc cadens adorabit deum, pronunciãs qđ uere dñs in uobis eſt. Et utiq; in eis ſpirituſſanctus eſt, qui prophetant. Si ergo infideles cadunt in faciẽ ſuam, & adorant ſpiritũſanctum, perterriti & confitentur uicti, quãto magis fidelibus expedit, ut uoluntarie & ex affectu adorent ſpiritumſanctũ? Adoratur aũt ſpirituſſanctus, non quaſi ſeparatim more gentiliũ, ſicut nec filius ſeparatim adoratur, quia in dextra patris eſt, ſed cum adoramus patrẽ, credimus inuocare ſpiritũſanctum, et cum patrem rogamus, à filio nos exaudiri confidimus, ſicut ipſe dñs dixit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciã, ut honorificetur pater in filio. Et ſi ſpirituſſanctus adoratur, ille utiq; adoratur, cuius eſt. Illud aũt nullus ignorat, quia diuinæ maieſtati nec addi quicquã, nec minui humanis ſupplicationibus poteſt, ſic unuſquiſq; ſecundũ ppoſitum uoluntatis ſuæ, aut gloriam ſibi acquirit fideliter uenerando, aut confuſionem ppetuam, pertinaciter reſiſtendo. Certũ eſt enim, qa ſuperbia & contemptus,

damnant, honorificentia uero fructum deuotionis expectat. Quare aũt fideles nõ honorificent integre trinitatem, ad quã ſe pertinere confidunt, cuius nomine ſe renatos, cuius ſeruos ſe nominari gloriantur? Namſi cut ad nomen dei patris, homines dei appellantur, ut Helias homo dei dictus eſt, ut Moſes homo dei appellatus eſt, ſic à Chriſto, Chriſtiani nuncupantur. Si igitur uocetur aliquis homo dei, & non ſit Chriſtianus, nihil eſt: Qui ſi uocetur Chriſtianus, & non fuerit ſpiritalis, nec ſibi ſatis de ſalute confidat. Sit ergo ſecundũ ſalutaris baptiſmi confeſſionem fides integra trinitatis, ſit una deuotio pietatis. Nec more gentilium poteſtatum, diuerſitates opinemur, aut creaturam, quantũ ad deitatem in trinitate, ſuſpicemur. Sed nec Iudæorũ ſcandalo moueamur, qui filium dei negant, qui ſpiritumſanctũ nõ adorant, ſed potius perfectã trinitatẽ adorantes, magnificantes, ſicut in myſteriis ore noſtro dicimus, ita conſcientiã noſtram teneamus, ſanctus, ſanctus, ſanctus dñs deus Sabaoth, Ter dicentes ſanctus, unã omnipotentiam confitemur, quia una eſt religio, una glorificatio trinitatis, ut audiamus Apoſtolum, ſicut audierunt Corinthij: Gratia domini no

stri Iesu Christi & dilectio dei, & cõmunicatio sancti spiritus sit cũ omnibus uobis. Hæc est fides nostra, Euangelicis & apostolicis traditionibus, & omniũ quæ in mundo sunt catholicarum Ecclesiarum, societate fundata, in qua nos per gratiam dei omnipotentis permanere usq; ad finem uitæ huius terrenæ confidimus & speramus. Directa duo decimo kalen. Maiarum, per Ianuariũ Zatterensem, Villaticum à casis Medianis, episcopos Numidiæ, Bonifacium Foratianensem, & Bonifacium Gazanensem, episcopos Vizacenos.

LIBRI SECVNDI FINIS.

Liber tertius.

CVmq; noster libellus legeretur, oblatus, ueritatis lumen nequaq; intueri cæcis oculis potuerunt, insanientes, uocibus infrementes, grauiterq; ferentes, quare nos nomine nostro catholicos dixerimus. Statimq; mentientes suggerunt regi de nobis, eo quod strepitũ fecerimus, audientiam fugientes. Qui eadem ho-

ra accenſus,& credens mendacio, feſtinauit facere,quod uolebat, etiam conſcriptũ habens,& occulte cũ eodem decreto,per diuerſas prouincias ſuos homines dirigens, epiſcopis Carthaginiſ poſitis. Vna die uniuerſæ Africæ eccleſias clauſit,uniuerſamq; ſubſtãtiam epiſcoporũ & eccleſiarũ ſuis epiſcopis munere condonauit. Neſciens quoq; quid loqueretur, neq; de quibus affirmabat, legẽ quam dudũ Chriſtiani Imperatores noſtri contra eos, & cõtra alios hæreticos p honorificentia Eccleſiæ catholicæ dederũt, aduerſus nos illi proponere non erubuerũt, addẽtes multa de ſuis,ſicut placuit tyrannicæ poteſtati. Hæc eſt enim ſeries datæ & præpoſitæ legis: Rex Hunerychus Vandalorum & Alanorum, uniuerſis populis noſtro regno ſubiectis. Triumphalis & maieſtatis regiæ probatur eſſe uirtutis, mala in autores cõſilia retorquere. Quiſquis enim prauitatis aliquid inuenerit, ſibi imputet quod incurrit. In qua re nutũ diuini iudicij, clementia noſtra ſecuta, perſonis, prout eorũ facta meruerint, ſeu bona, ſeu forte talibus contraria, decreuit. Itaq; his prouocantibus, qui contra præceptionem inclitæ recordationis patris noſtri, uel manſuetudinis noſtræ crediderunt

esse renitendum, censuram seueritatis assumimus. Auctoritatibus enim, cunctis populis fecimus innotescere, ut in sortibus Vandalorum nullos conuentus homousion sacerdotes assumerent, nec aliquid mysteriorum, quæ magis polluunt, sibimet uendicarent. Quod cum uideremus esse neglectum, & plurimos esse repertos, dicentes se integram fidei regulam custodire uel retinere, uniuersos constat fuisse cõmonitos ad spacia temporis prorogata mensiũ nouẽ, quæ cõtentionis si quid ad eorũ proposita possit aptari, ad kalen. scilicet Februarias, anni octaui regni nostri, sine metu aliquo, conuenirent. Qui dum huc ad Carthaginensem confluerent ciuitatem, post moram temporis præstituti, aliam quoq; dilationem aliquantorũ dierum dedisse cognoscimur. Dum se cõflictui paratos astruerent, primo die à uenerabilibus episcopis nostris, eis uidetur esse propositum, ut homousion, sicut admoniti erãt, ex diuinis scripturis proprie approbarent, aut certe, quod à mille et quotquot excurrũt pontificibus, de toto orbe in Ariminensi cõsilio, uel apud Seleuciam amputatũ est, prædamnarent. Quod nequaquã facere uoluerunt, uniuersa ad seditionem, per se cõcita-

to populo reuocantes. Quinimmo & secunda die, dum eis mandaremus, ut de eadem fide, sicut propositum fuerat, responderent, hoc uidentur assumpsisse, temeritate transacta, ut seditione & clamoribus omnia perturbantes, ad conflictū facerent minime peruenire. Quibus prouocantibus, statuimus, ut eorum ecclesiæ clauderentur, hac illis conditione præscripta, ut tā diu essent clausæ, quā diu mallent ad conflictum oppositum peruenire. Quod ea obstinatione facere noluerūt, quam in prauis uidentur assumpsisse consilijs. Adeo in his est necessarium ac iustissimum retorquere, quod ipsarum legum continentia demonstratur, quas induxisse cū terrore Imperatoribus temporum diuersorū, tunc contigit promulgari. Quarum illud uidetur tenere contextio, ut nulla exceptis superstitiōis suæ antistitibus, ecclesia pateret, nullis liceret alijs, aut cōuictus agere aut exercere conuentus, nec ecclesias, aut in urbibus, aut in quibusdam minimis locis penitus obtinere, neq; construere, sed præsumpta fisci iuribus iungerentur. Sed etiam nec patrimonia eorum, ecclesiæ suæ fidei sociata, suis antistitibus peruenirent, nec commeandi ad quæcunq; loca talibus licentia pateret, sed

extorres omnibus urbibus redderentur & locis, nec baptizandi haberent facultatē aliquam, aut forte de religione diſputandi. Et nullam haberent ordinandi licentiā, ſeu epiſcopos ſeu preſbyteros, uel alios quos ad clerum pertinere contingeret, propoſita ſeueritate uindictæ, ut tam hi, qui ſe paterentur huiuſcemodi honores accipere, quàm etiam ipſi ordinatores, denis libris auri ſinguli mulctarentur, eo adiecto, ut nullus eis locus eſſet uel aditus ſupplicandi, ſed etiam ſi qua minus minime præualerent. Et ſi in hac pernicie perdurarent, etiam de proprio ſolo ablati in exilium, ſup pſecutione idonea, mitterentur. In populo quoq; præfati Imperatores ſimiliter ſæuientes, quod eis nec donā di, nec teſtandi, aut capiendi, uel ab alīs relictum, penitus ius eſſet, non fidei cōmiſſi nomine, non delegati, non donationibus, aut relictione, quæ mortis cauſa appellatur, uel quolibet codicillo, alīſve forſitan ſcripturis, ita ut etiam, qui in palatīs militarent, cōdemnationis grauiſſimæ pœna, quæ talibus præſcripta conſtituitur, obligantes. Viris autem maieſtatis diuinæ cultoribus, id eſt, ſacerdotib⁹ noſtris eccleſias uniuerſas, uel totius cleri nominis ſupra dicti, quibuſcunq;

terris & regionibus constitutas (quæ propi cia diuinitate Imperij nostri regimine possi dentur) unà cum rebus, quæ ad easdem pertinent, hoc decreto statuimus proficere, nõ dubitantes, quod plus alimoniæ inopũ proficeret, quod sacrosanctis pontificibus, iuste collatum est. Hãc ergo legem fonte iustitiæ profluentem, cunctis fecimus innotescere, quatenus nullus sibi ignotũ esse, quod præceptum est, possit obtendere. Optamus uos bene ualere. Sub die .vi. kalen. Martias Carthagini.

POST HAEC edicta feralia, ueneno toxicato trãsuersa, iubet cunctos episcopos qui Carthagini fuerant congregati (quorũ iam ecclesias, domos & substãtiam ceperat) in hospitijs, quibus erant, expoliari. Et expoliatos foris muros propelli. Non animal, nõ seruus, non mutãda quæ ferebant uestimenta penitus dimittuntur. Addẽs adhuc, ut nullus quempiam illorum hospitio reciperet, aut alimoniam præstaret, Qui aũt miserationis causa facere tentasset, cum uniuersa domo sua incendio cremaretur. Sapienter tunc etiam proiecti episcopi fecerũt, ut licet mendicantes, exinde nõ abierint. Quia si recederent, nunquã omnino reuocarentur, & men

tirentur eos, ſicut mentiti ſunt, fugiſſe cõflictum, maxime, quia non reuerterentur. Iam neq; ulla erat eccleſiæ ſubſtantia, uel oibus occupatis. Dum ergo gementes in circuitu murorum, nudo ſub aere iacerent. Factũ eſt ut rex impius ad piſcinas exiret. Cui uniuerſi occurrere maluerunt, dicentes: Vt quid taliter affligimur? Pro quibus malis forte commiſſis iſta perpetimur? Si ad diſputationẽ cõgregati ſumus, quare expoliati? Quare traducimur? Quare differimur, & ſine eccleſijs & domibus noſtris, foris ciuitatem fame & nuditate laborantes medijs ſtercoribus uoluramur? Quos ille toruis oculis reſpiciẽs priuſquam ſuggeſtionem eorũ audiſſet, iuſſit ſuper eos equos cum ſeſſoribus dimitti, ut tali uiolentia poſſent non ſolum conteri, uerũ etiam enecari. Quorũ tunc multi cõtriti ſunt & præcipue ſenes. Tunc deinde iubentur ad quendam locum (qui dicitur ædes Memoriæ) illi uiri dei occurrere, fraudem ſibi neſcientes aptatam. Vbi cũ uenilſent, charta eis oſtenditur, inuoluta iſta ſubtilitate ſerpẽtis: Dñs noſter rex Hunericꝰ, licet doleat, qđ ſuis contemptores, ut adhuc eius uoluntati obedire non tardetis, iubet, & eius officiamini religionis, cuius eſt ipſe, nũqđe uobis bo

num cogitauit, si iuraueritis ita, ut quod ista charta continet, faciatis, dimittet uos ecclesijs & domibus uestris. Ad qd' uniuersi episcopi responderunt: Semper dicimus & diximus, & dicturi sumus: Christiani episcopi sumus. Apostolicam fidē & unam & ueram tenemus. Factum q; est, ut post confessionis meritum facerent subiectos, & ut omni honoris sui priuilegio expoliati, infamiā incurrerent, & publico crimine huiusmodi personæ se cognoscerent esse subiectos. Officialibus etiam iudicum diuersorum, triginta argenti pondo pœna proposita, quam si quinq; uicibus in errore perdurantes contigisset inferre, tunc demū tales conuicti, atq; subiugati uerberibus, in exilium mitterentur. Deinde codices uniuersos sacerdotum, quos persequebātur, p̄ceperunt ignibus tradi. Quod de libris huiusmodi, quibus sibi nominis illius errorem persuasit iniquitas, precium faciendum, hæc enim, ut dictum est, pro singulis quibusq; personis illi obseruanda præceperant, ut illustres singuli, auri pōdo quadragena, populares auri pondo uicena, sacerdotales auri pondo tricena, decuriōes auri pōdo terquina, plebes auri pondo quina, circūcelliones argenti pōdo dena. Et si qui forte

in hac pernicie pmanerent,cõfiſcatis omnibus rebus ſuis exilio mulctarẽtur. Ordines ciuitatum, ſed & procuratores & conductores poſſeſſionũ tali pœna uidebantur affligere,ut ſi forte tales celaræ diligerent,et minime publicaſſent,& retentos iudicio non facerent præſentarij, ipſi tenerẽtur ad pœnã. Conductores etiam regaliũ prædiorũ, hac mulcta propoſita,ut quantũ domui regiæ inferrent,tantũ etiam fiſco pœnæ nomine cogerentur exoluere, ut generaliter in omnibus conductoribus uel poſſeſſoribus, qui in eadem ſuperſtitione credidiſſent perdurandum, conſtituitur obſeruari. De iudicibus etiam, qui huic rei inſtantiſſimi imminebãt, proſcriptionis & ſanguinis pœna punirentur.Sed & de primatibus officiorũ tres numero punirentur, alijs uiginti librarũ auri condẽnatione mulctandis. Quare his neceſſe eſt conditionibus obligari homouſianos oẽs,quos huiuſmodi malis perſuaſos, ignis conſtat tenuiſſe & tenere materiam,quos ab hominibꝰ ſupra dictis obtinere decernimus in perſecutionẽ, uẽturis per ordines cunctarum urbium,ſed etiam iudicibus, qui ſuperius neglexiſſe dura ſupplicia aduerſantibus inferre monſtrantur. Omnes ergo ſupradi-

ctæ fidei homousion erroribus implicatos, quæ cuncta prædamnata est concilio tantorum numero sacerdotũ, uniuersis rebus supradictis & cõtractibus, p̃cipimus abstinere. Quod nihil sibi nouerint esse pmissum, sed uniuersos similis pœna maneat & stringat, si ad uerã religionẽ, quã ueneramur & colimus, intra diẽ kal. Iuniarũ, anni octaui regni nostri cõuersi nõ fuerint. Diẽ aũt p̃stitutum ideo pietas nostra constituit, ut p̃damnantibus errorẽ, indulgentia non negetur, et obstinatos aĩos supplicia digna coërceant. Qui aũt in eodẽ errore pmanserint, seu domus nostræ occupent militiã, seu forsitã diuersis titulis necessitatibusq; præpositi, pro gradibus suis declaratas superius mulctarũ illationes cogantur excipere, nihil ualituris, quæ forsitan p̃ subreptionẽ quẽquam taliũ contingit pmereri. In priuatos etiã, uel cuiusc unq; gradus p̃sonas, hoc nostra pmulgatio p̃cipit obseruandũ, quod circa tales suprã dictis legibus uidebatur expressum, ut pœnæ congrue subderentur. Iudices aũt prouinciarum, quod statutũ est, negligẽtes, exequi, superioris feriri sentẽtia iudicij, illi qui à rege fuerant destinati, festinabãt extorq̃re episcopis sacramẽtum. Tunc beati uiri, Hor-

tulanus & Florentianus episcopi, pro omnibus & cũ omnibus dixerunt: Nunquid animalia irrationalia nos sumus, ut nescientes quid charta contineat, facile aut temere iuremus? Accelerauerunt quoq; illi à rege destinati, scripturæ eis propalare tenorẽ, qui huiusmodi sermonibus fuerat coloratus. Sic enim calumniosa series continebat: Iurate si post obitũ dñi nostri regis, eius filium Hilderych desideratis esse regẽ, uel si nullꝰ uestrũ ad regionem transmarinã epistolas diriget. Quod si sacramentum huius rei dederitis, restituet uos ecclesijs uestris. Cogitauit tunc multorum pia simplicitas, etiam contra prohibitionem diuinam, sacramentum dare, ne dei populus in posterum diceret, quod iudicio sacerdotum, qui iurare noluerunt, nõ fuerunt ecclesiæ restitutæ. Alij quoq; episcopi sentiẽtes dolum fraudis, nequaquam iurare uoluerunt, dicentes prohibitum fuisse Euangelica autoritate, ipso domino dicẽte: Non iurabitis in toto. Quibus ministri regis: Secedant in parte, inquiunt, qui iurare disponunt. Qui cũ secederent, notarij scribebant, quid quisq; diceret, & ex qua ciuitate fuisset, similiter factum est illis, q nõ iurauerũt. Statimq; pars utraq; custodiæ mãcipatur, post

modum uero fraus, quæ cælabatur, apparuit, iurantibus dictum eſt: Quia contra præceptum Euangelij iurare uoluiſtis, iuſſit rex ut ciuitates atq; eccleſias ueſtras, nunq; uideatis ſed relegati, colonias iure ad excolēdū agrū accipiatis, ita tamen, ut non pſallatis neque oretis aut ad legendū codicem manibus geſtetis, non baptizetis, neq; ordinetis, aut aliquem recōciliare præſumatis. Similiter non iurantibus aiunt: Quia regnū filij dñi noſtri non optatis, idcirco iurare noluiſtis. Ob quā cauſam iuſſi eſtis in Curſicanā inſulā relegari, ut ligna profutura nauibus, incidatis. Addidit itaq; beſtia illa ſanguinē ſitiens innocētum, epiſcopis, necdū in exiliū directis, per uniuerſas Africanæ terræ prouincias, uno tē pore tortores crudeliſſimos deſtinare, ut nulla remaneret domus uel locus, ubi non eſſet ululatus et luctus, ut nulli ętati, nulli parceretur ſexui, niſi illis, qui eorū ſuccūberent uoluntati, hos fuſtibus, illos ſuſpendio, alios ignibus cōcremabāt. Mulieres, & præcipue nobiles cōtra iura naturæ nudas omnino in facie publica cruciabant. Ex quibus unā noſtram Dionyſiam rurſum acbreuiter nominabo. Cum uiderēt eā non ſolū audacē eſſe, ſed etiā matronis cæteris pulchriorē, ipſam

primo iussi sunt fustibus expoliatã aptare. Quæ cum pateretur diceretq; de deo: sum secura, qualiter libet, cruciate, uerecunda tamen membra nolite nudare, amplius illi magis furentes, celsiori loco uestimentis exutã consistunt, spectaculum eam omnibus facientes. Quæ inter ictus uirgarũ, dum riuuli sanguinis toto iam corpore fluitarent, libera uoce dicebat: Ministri diaboli, quod opprobrium meũ facere computatis, ipsa laus mea est. Et quia esset scripturarũ diuinarum scientia plena, aptatis arctata pœnis, & ipsa iam martyr, alios ad martyriũ confortabat: Quæ suo sancto exemplo pene uniuersam suam patriam liberauit. Quæ cũ suũ unicũ filiũ adhuc teneræ ætatis & delicatum, timore pœnæ formidolosum conspiceret, uerberans eũ nutibus oculorum, & increpans autoritate materna ita confortauit, ut matre multo fortior redderetur. Cui inter crudelia uerbera constituto, ita dicebat: Memento fili mi, quia in nomine Trinitatis, in matre Ecclesia catholica baptizati sumus. Non perdamus indumentum nostræ salutis, ne ueniẽs inuitator uestrẽ nõ inueniat nuptialem, & dicat ministris: Mittite in tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorũ & stridor dentiũ, illa.

pœna timenda est, quæ nunq̃ finitur, & illa desideranda uita, quæ semper habetur. Talibus itaq; filiũ solidans uerbis, uelociter martyrem fecit. Venerabilis em̃ adolescẽs, Maioricus nomine, in certamine cõfessiõis spiritum reddens, cursum palmiferum consummauit. Amplexansq; illa hostiã suã, quantũ potuit uocibus dño gratias agens, ad gaudium spei futuræ, in sua domo maluit sepelire, ut quotiens super sepulchrum eius Trinitati preces effundat, alienã se à filio nunquã esse confidat. Quanti igitur per eam in illa ciuitate (ut fati sumus) acquisiti sunt deo, longum est enarrare. Nã etiã germana noie Datiua, atq; Leoncia filia sancti Germani episcopi, cognatusq; Datiuæ, uenerabilis AEmilius medicus, religiosus quoq; Tertius trinitatis confessione p̃clarus, uel Sibidensis Bonifacius, quãta pertulerũt, qualibusq; cruciatibus euiscerate, uel uiscerati sunt, qui ualet, ex ordine dicat. Seruus quoq; Tuburbitanæ ciuitatis Maiorus, generosi & nobilis uiri, pro Christo quas pertulerit, quis explicet, pœnas? Qui post cædes innumerabiliũ fustium trocleis frequentibus eleuatus, dũ totam per urbem penderet, nunc in sublime sublatus, ictu celeri dimissis iteꝝ canabinis, sup silices

platearꝝ pondere corporis ueniens, ut lapis ſuper lapides corruebat, ſed & ſæpius tractū & lapidibus acutiſſimis defricatū, ut cutibus ſeparatis pelles corporis de lateribus uideres, & uentre pendere. Iſte etiã temporibus Genſerychi nõ ualde diſſimilia ptulerat, ne amici cuiuſdam ſui ſecreta nudaret. Quanto magis nũc in ſuæ fidei ſacramẽta muniretur & ſi homini gratus fideliter exhibuit fidem, quantũ illi debuit, qui redditurus eſt pro fide mercedẽ? In ciuitate uero Culuſitana non ualeo, quæ geſta ſunt, nũciare, quia & ipſam quantitatẽ martyrũ uel etiam confeſſorum, impoſſibile eſt homini ſupputare. Vbi quædam matrona, auctrix ſui nominis Victoria in conſpectu uulgi, cũ cõtinuato ſuſpendio concremaretur, à marito pdito, filiis præſentibus, taliter rogabatur: Quid pateris coniunx? Si me deſpicis, uel horꝝ, quos genuiſti, miſerere impia paruulorꝝ, quare obliuiſceris uteri tui, & p nihilo ducis, quos cum gemitu peperiſti? ubi ſunt fœdera cõiugalis amoris? ubi ſocietatis uinculæ? ubi quæ inter nos dudum honeſtatis iure tabulæ conſcriptæ fuerunt? Reſpice, quæſo, filios, ac maritum, & regiæ iuſſionis feſtina implere præceptum, ut imminentia adhuc tormenta lu-

creris, simul & mihi doneris & liberis nostris. Sed illa, nec filiorũ fletus, nec serpentis audiens blandimenta, aspectũ oculoꝝ altius eleuans à terra, mundũ cũ suis desideriꝭ cõtemnebat. Quã cũ iam continuato suspẽdio auulsis humeris, etiã qui cruciabant, conspicerent mortuã, deposuerunt prorsus omni parte exanimatã. Quæ postea retulit quandam sibi uirginem astitisse, atq; tetigisse mẽbra singula, & illico fuisse saluatã. Qualiter aũt Adrumitanæ ciuitatis ciuem Victorianum, tunc proconsulem Carthaginis prædicem nescio, deficientibus uerbis, quo in Africæ partibus nullus ditior fuit, qui etiã apud impiũ regem pro rebus semper sibi commissis fidelissimus habebatur. Mandatur ei à rege familiariter diciturq;, quod eũ habiturus esset præ oĩbus, si eius præcepto facilẽ commodasset assensum. Sed ille uir dei, missis ad se, tale dedit, cũ fiducia magna, respõsum: Securus ego sum de Christo deo & dño meo, hæc regi dicatis: Subrigat ignibus, adigat bestiꝭ, excruciet oĩm tormentorũ generibus, si cessero, frustra sum in ecclesia catholica baptizatus. Nam si hæc præsens uita sola esset, & aliam, quæ uera est, non speraremus æternam, nec ita facerem, ut modicum atq;

temporaliter gloriarer, et ingratus existerē, qui suā fidē mihi contulit, creatori. Ad quod tyrannus excitatus, quantorū tormentorū & quantis eum afflixerit pœnis, humanus sermo nō poterit explicare. Qui tripudians feliciterq; cōsummans, martyrialē coronam accepit. Apud Tambadensem quoq; ciuitatem gesta, quis enim queat certamina martyrum explicare? Vbi duo germani Aquasregiensis ciuitatis, sibi securi de dño, inuicem iurauerunt, ut rogarent tortores, ut una pœna pariq; supplicio torquerentur. Et dū primo suspendio molibus lapidum pedibus alligatis, tota die penderent, unus illorū petiuit se deponi, & sibi inducias dari. Cuius frater alius metuēs ne fidē negaret, ei de suspēdio clamabat: Noli, noli frater, non ita iurauimus Christo. Accusabo te, cum ante thronum eius terribilē uenerimus, quia sup corpus & sanguinē eius iurauimus, ut pro eo simul patiamur. Ista dicens & alia, cōfortauit germanū ad plium passionis. Qui clamās in genti uoce dicebat: Addicite supplicijs, quibus uultis, & pœnis Christianos arctate crudelibus, qd frater meus facturus est, hoc etiam ego. Quantis iā laminis adusti sunt ignitis, quibusve singuli exarati, quib⁹ cruciati-

bus torti, ipsa res docet, qd' eos ipsi tortores à sua facie proiecerunt, dicentes: Istos imitatur uniuersus populus, ut nullus ad nostrã religionem penitus cõuertatur. Et præcipue quia nulli liuores, nulla pœnarũ uestigia in eis penitus uidebãtur. In Tipasensi uero qd' gestũ est Mauritaniæ maioris ciuitate, ad laudem dei narrare festinemus. Dum suæ ciuitati Arrianũ episcopum ex notario aulæ, ad perdendas animas ordinatum uidissent, ois fere ciuitas euectione ualde proxima ad Hispaniam confugit, relictis paucissimis, q̃ aditum non inuenerant nauigãdi. Quos Arrianorum episcopus primo blãdimentis, postea minis cõpellere cœpit, ut eos faceret Arrianos, sed fortes in dño, nõ solum suadẽtis insaniã irriserunt, uerum etiam publice mysteria diuina, in domo una congregati, celebrare cœperunt. Quod ille cognoscens, relationem occulte Carthagini aduersus eos direxit. Quæ cũ regi innotuisset Comitẽ quẽdam cum iracũdia dirigens, p̃cepit ut in medio foro, congregata illuc omni prouincia, linguas eis & manus dexteras radicitus abscinderent. Et Spiritusancto præstante, ita locuti sunt & loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed si quis incredulus esse uolue

rit, pergat nunc Constãtinopolim, & ibi reperiet unum de illis, subdiaconũ Reparatũ, sermones politos sine ulla offensiõe loquentem. Ob quã causam uenerabilis nimis in palatio Zenonis Imperatoris habetur, & præcipue regina mira eum reuerẽtia ueneratur. Sed quis congruo sermõe possit exequi, aut coaceruare diuersitates pœnarũ, quas ex iussu regis sui etiam ipsi Vandali in suos homines exercuerunt? In ipsa quæ gesta sunt Carthagine, si nitatur scriptor singulatim astruere, etiã sine ornatu sermõis, nec ipsa nomina tormẽtorũ poterit dicere. Quæ res hodie cuiq; proposita, in promptu demonstratur. Nã alios sine manib', alios sine oculis, alios absq; pedibus, alios truncatos naribus auribusq;, alios q; uideas nimio suspendio spatulis auulsis, caput quod eminere solebat, in medio scapularum fuisse demersum, dum iugiter in altis ædibus suspendio cruciantes, impulsione manuũ, funibus agitatis, per uacuũ aẽrem huc atq; illuc faciebant uagari pẽdentes, nõnulli disruptis funibus de illa altitudine suspensionis, ictu ualido corruerunt, & plurimi arcẽ cerebri cum oculis amiserunt, alij confractis ossibus, spiritum cõtinuo reddiderunt, alij post paululum exhalauerunt.

Sed qui hoc fabulosum putat, Auiū Zenonis legatum interroget, in cuius præsentia præcipue gesta sunt, illa scilicet causa, qua ueniens Carthaginē, sese p defensione Ecclesiarum catholicarum ueniſſe iactabat, ut & illi ostenderet tyrannus, neminem se formidare. Illis plateis, uicis plures tortores et crudeliores statuit, in quibus legatis moris est, ascendendo ad palacium, & descendēdo trā sire, ad opprobriū ipsius Reipublicæ, et nostri iam deficientis temporis fecem. Tūc igitur & quædā uxor cuiusdā cellarij regis nomine Dagilli, qui temporibus Genserychi multociens iā confessor extiterat, matrona nobilis ac delicata, flagellis & fustibus omnino debilitata, exilio arido & inuio relegatur, ubi nullus hominū forte cōsolationis gratia ueniēdi haberet accessum, relinquēs cum gaudio domi maritum simul & filium. Cui postea oblatū esse dicitur, ut mitiori heremo transiata, frueretur, si uellet, solatio sociorum, illa uero ingens sibi adesse credens gaudium, ubi nullū humanum haberet consolatiōis affectum, ne fieret supplicauit. Tūc etiā Eugenio pastore iā in exilio constituto, uniuersus clerus ecclesiæ Carthaginis cæde inediaq; maceratus, fere quingenti uel am-

plius, inter quos quàmplurimi erant lectores, infantuli gaudentes in dño, procul exilio crudeli traduntur. Sed libertatem tũc dũ in media urbe cæderentur Miritæ diaconi, ceteris liberiorem, tacere nõ debeo. Fuit quidam Epidophorus noie, nimiũ crudelis & ferus, cui fuerat delegatũ mẽbra cõfessorũ christi supplicijs grassantibus laniare, hic enim fuerat apud nos dudum in ecclesia Fausti baptizatus, quẽ Mirita uenerabilis diacon⁹ de alueo fontis susceperat generatũ, postea uero, dum apostataret, tantæ extitit feritatis in Ecclesiã dei, ut superior oibus executor persecutionis esset inuentus. Quid multa? dum primo presbyteri supplicijs macerandi ordine citarentur, primo post Archidiaconũ Salutarem, aptatur pœnis memoratus Mirita, fuit em̃ secundus in officio ministrorum, qui cum Epidophoro sedente & fremẽte honorabilis senior cœpisset extẽdi, priusquam excruciaretur, clam forte nescientibus cunctis, illa quibus eũ suscipiens de fonte dudũ texerat sabana, baiulabat, quibus uentilatis simulq; in ostensione cunctis extẽtis, his uerbis totam ad fletũ & lachrymas dicitur commouisse ciuitatem, Hæc sunt linteamina Epidophore minister errans erroris, quæ te ac-

tusabunt, dum maiestas uenerit iudicantis. Custodiētur diligentia mea ad testimonium tuæ ꝓditionis, ad mergendū te in abyssum putei sulphurantis, hæc te immaculatum cinxerunt de fonte surgentē, hæc te acrius persequētur, flāmantē ge hennā cū cæteris possidentē, quia induisti te maledictione, sicut uestimentū, scindens atq; amittens ueri baptismatis & fidei sacrum. Quid facturus es miser, cū serui patrisfamilias ad cœnā regiā congregare cœperint inuitatos? Tunc te aliquādo uocatū terribiliter indignatus exutū stola rex conspiciens nuptiali, dicet tibi: Amice quomodo huc ueniſti, uestem nō habens nuptialem? Nō uideo quod cōtuli, nō cognosco, quod dedi, perdidisti militiæ chlamydē quam in tutela uirgineorum membrorūgessisti decē mensibus texi, & tendicula crucis extendens aqua mundaui, & purpura mei sanguinis decoraui, nō cōspicio uultū signaculi mei, characterē non uideo Trinitatis, talis interesse non poterit epulis meis. Ligatum manibus & pedibus suis, funiculis, qui seipsum uoluntarie separare uoluit à catholicis fratribus suis. Ipse funes extendit cōtinuatos in laqueū, quibus & semetipsum uinxit, & alios, ne ad istud uenirēt conuiuiū impe-

diuit,iuxta ſemitā multis ſcandalum poſuit, quem nunc cū rubore perpetuo & dedecore ſempiterno,de conuiuio meo proieci,hæc & alia Mirita dicente,igne conſcientiæ ante ignem æternum obmuteſcēs Epidophorus torrebatur. Parātes igitur uniuerſi dorſa ſua uerberibus,alacres ad exilium pergunt,quibus adhuc in itinere longioris uiæ cōſtitutis deſtinantur (epiſcopis Arrianorū ſuggerentibus)homines immiſericordes ac uiolēti,ut illud,quod eis forte miſeratio Chriſtiana uictui contulerat ꝓfuturū, crudeliter auferretur, quando unuſquiſq; eoꝝ libentius forte cantabat: Nudus exiui de utero matris meæ,nudū etiam me oportet ad exilium pergere, quia dominus nouit eſurientibus cibū porrigere,& in deſerto ueſtire. Nā & Vāda li duo ſub Genſerycho ſæpius cōfeſſores,comitāte matre, cōtemptis oībus diuitijs ſuis, cum eiſdē clericis ad exiliū perrexerunt. De multitudine aūt ꝓgentium confeſſoꝝ,id eſt, eccleſiæ Carthaginis clericorum,ſuggerēte quodā ex lectore Theucorio perdito, quos ille nouerat uocales ſtrenuos,atq; aptos modulis cātilenæ,deſignatione ſua debere dicit duodecim infantulos ſeparari, quos ipſe,dū catholicus eſſet,tunc diſcipulos habuit. Sta-

tim illo suggerente sub festinatione, uiri mit
tuntur, & barbarico furore bissenus nume-
rus puerorum de itinere reuocatur, segregā
tur corpore, nō spiritu à grege sanctorū. Qui
timētes præcipitiū, cū suspirijs lachrymarū,
ne diuellerentur, constringebāt manibus ge
nua sociorū, quos uiolētia tñ hæretica mina-
cibus separās gladijs, Carthaginē reuocat.
Sed dū cū eis, quasi tali ætate nō blāditijs age
retur, superiores suis inuēti sunt annis. Et ne
obdormirēt in mortē, lucernā sibi Euāgelici
luminis accenderūt. Indignātur ob hoc gra
uiter Arriani, & se superatos à pueris erube
scunt, unde accēsi subdi iterū fustibus iuben-
tur, quos iā ante pauciſſimos dies uarijs uer
beribus dissiparāt, imprimūtur uulneribus
uulnera, & rursum pœna restaurata crude-
scit. Factū est dño cōfortāte, ut nec ætas mi-
nor deficeret in dolore, & magis animo cre
sceret, roboratus in fide. Quos nunc Cartha
go miro colit affectu, & quasi duodecim a-
postolorū chorū cōspicit puerorum, unà de
gunt, simul uescuntur, pariter psallūt, simul
in dño gloriant. Illis diebus & duo negocia
tores, Frumētius & alius Frumētius, ipsi eius
dem urbis, egregio martyrio coronati sunt.
Tūc & septē fratres, nō natura, sed gratia, si-

mul in monaſteriocõmanẽtes,cõfeſſiõis certamine expleto, immarceſſibilẽ puenerũt ad coronã,id eſt,Liberatus, Abba, Bonifacius diaconus, Ruſticus ſubdiaconus. Rogatus monachus,& Maximus monachus. Nã illo tempore crudelius Arrianoum epiſopi, p̃ſbyteri,clerici,quàm rex et Vãdali ſæuiebãt. Nam ad p̃ſequendũ epiſcopi cũ ſuis clericis ubiq; gladiꝰ accinc̃ti currebãt, ſicut quidam epiſcopus inter illos, cæteris crudelior Antonius noie,qui tã nefaria & incredibilia in noſtris exercuit,ut narrari nõ queãt. Fuit ille in quadã ciuitate p̃xima heremo,q̃ Tripolitanæ p̃uinciæ uicina eſt. Qui ut beſtia inſatiabilis,catholicorũ ſitiens ſanguinẽ, huc illuc̃q; ad rapiendũ rugiens excurrebat.Nam impius Hunerychus ſciẽs Antonij ferocitatem, in ipſis heremi partibus uoluit ſanctũ Eugeniũ relegare. Quem dũ cuſtodiendum Antonius accepiſſet, ita eũ acriori cuſtodia cinxit,ut nullũ ad eũ introire p̃mitteret, inſuper uariꝭ inſidiarum atq; pœnarũ ſuppliciꝭ extinguere cogitaret. Sed Eugenius ſanctus,dum noſtræ p̃ſecutionis defleret incõmoda,et aſperitate cilicij ſenile attereret corpus,nudãq; ſup humũ cubitãs, ſtratũ ſacris irrigaret imbribꝰ lachrymarũ,aliquãdo ſen-

sit infestum paralysis morbū. Quo nūcio in gaudium cōuersus Arrianus pergit festinus ad cubile exilij hois dei. Et cū uideret, arcente passione, uerꝫ Pontificē balbutiētia uerba producere, cogitauit simul extinguere, quē supesse nolebat. Præcepit acetū aspeꝫ, nimis q̄ acerrimum quæreret, quod cum fuisset allatum, uenerabilis senis recusantibus & nolentibus faucibus ingerebat. Nā si cōmunis dñs, q̄ ad hoc uenerat ut potaret, cum gustasset, noluit bibere, quāto magis iste seruus & confessor fidelis oīno nollet, si hæretica feritas ingessisset. Ex q̄ aceto, præsertim illi passioni noxio, morbus accepit augmentū, cui pietas Christi misericorditer subueniens, postea salutē exhibuit. Alio autē nostro episcopo Habetdeū similiter relegato, Tamallunensis ciuitatis, in qua Antonius fuerat, quā tum potuit infestarire ipsa demonstrat. Nā cum diuersis eum pſecutionibus affligeret, nec posset facere Arrianum, uideretq̄ Christi militē semp in cōfessione cōstantē, pmiserat em̄ suis dicens: Nisi eūnostræ fecero religionis, nō sum Antonius. At ubi in sua promissione minor inuentus est, suggerēte sibi diabolo, cogitat aliud. Pedibus manibusq̄ ligatis uinculis ingentibus arctat episcopū,

orēq; obturato, ne lingua clamaret, aquā corpori (ut putabat) rebaptizationis ſpergit, quaſi ualeret cōſcientiā ligare cum corpore, aut non adeſſet, q audit gemitus compeditorū et cordis ſecreta rimatur, uel ſeparare poſſet. aqua mēdax tantæ uoluntatis ꝓpoſitum, qđ iam homo dei, mittētibus lachrymis, miſerat legatum in cælū. Exuit ſtatim uirū uincu lis, & tali, quaſi gaudēs, ꝓſequitur uoce: Eccleſiæ frater Habetdeum noſter Chriſtianus effectus es. Cui Habetdeū: Illa eſt impie Antoni mortis dānatio, ubi uoluntatis tenet aſſenſio. Ego fidei meæ tenax, uocibus cōfitēs crebris, qđ credo & credidi, clamādo defendi. Sed & poſteaquā catenis uinxiſti, & oris ianuā oppilaſti, in prætorio cordis uiolētiæ meæ ſubſcribētibus angelis geſta, & lectitā da Imperatori meo trāſmiſi. Erat generalis quidē iſta uiolētia tyrannorū. Nā Vādali ꝓ hac re ubiq; fuerant deſtinati, ut tranſeuntes itinera, ſacerdotibus ſuis ad ducerēt iugulandos. At ubi eos fallacis aquæ gladio peremiſſent, iudiciū eis ꝑditionis, ſcriptura teſte, tradebant, ne alibi ſimili uiolentia traherētur, quia non licebat, ſiue priuatis, ſiue negoçiatoribus alicubi tranſire, niſi deſcriptam characteris indiçio ſuā à miſeris oſtēderet mor-

tem. Quam reuelationē seruo suo Ioāni olim iam ostenderat Christus, ubi dixit: Nulli licebit aliqd emere, uel uendere, nisi qui habuerit characterē bestiæ in fronte sua & in manu sua. Nā & episcopi atq; presbyteri illorū cum armatorū manu nocturnis tēporibus uicos uel oppida circūibant, et sic despicatis postibus ianuarū, aquā gladiumq; gestantes animarū p̄dones intrabāt. Et quos domi repererant, alios forte in lectulis soporatos igneo imbre atq; fulmineo respergentes, simoniaca uociferatione Christianos suos ipsi pariter uocitabant, ut ludū potius suæ hæreseos aquā q̄ religionē ostenderent. In quo minus capaces & ignaui impletū in se pollutionis sacrilegiū imputabāt. Prudētiores uero nihil sibi, qd' nolētibus atq; dormiētibus ingestū esset, obesse gaudebant. Nam et multi eadem hora cinerē suis capitibus iniecerunt, alij sese, uel quia factum est, cilicio lugubri texerunt, nōnulli cœno fœtido linierunt & linteamina uiolenter imposita, perfide cōsciderunt, atq; in latrinis fœtidisq; locis manu fidei p̄cecerunt. Tali uiolentia, nobis uidentibus, in Carthagine filius cuiusdā nobilis, annorū circiter septē, iussu Cyrilli à parētibus separatus est, sine uerecūdia matrona-

li, matre ſolutis crinibus poſt raptores tota urbe currente, ac clamante, ut poterat, Chriſtianus ſum, per ſanctum Stephanum Chriſtianus ſum. Cui & os obturantes, inſontem infantiam in ſuũ gurgitẽ demerſere. Ira & de medici filio, uenerabilis Liberati factum eſſe probatur. Nã iuſſu regis cũ uxore & liberis ad exilium mitti iubetur, cogitauit impietas Arriana à parentibus paruulos filios ſeparare, ſi poſſet per pietatis affectum, uirtutem proſternere genitoris, Diſiunguntur à parentibus tenera pignora filiorum. Qui cum uellet Liberatus lachrymas mittere, auctoritate uxoris increpatus, in ipſo meatu exitus ſui illico lachrymæ ſiccatæ ſunt. Ait cẽ & coniunx: Et propter filios Liberate perditurus es animam tuam? Computa eos nõ fuiſſe natos. Nam & ipſos omnino uindicaturus eſt Chriſtus. Nonne uides eos clamantes & dicentes: Chriſtiani ſumus? Sed hæc mulier, quæ in conſpectu iudicum egerit, tacendum non eſt. Nam cum ipſa & maritus, licet ſeorſum, carceris tamen cuſtodia tenerentur, ita ut ſe penitus non uiderent, mãdatur mulieri, dicitúrq; illi: Solue iam duricíam tuam: Ecce uir tuus paruit imperio regis & noſter Chriſtianus factus eſt. Aitq; illa:

Videam illum, faciam & ego, quod uoluerit deus. Et ducta illa de carcere, inuenit uirum suum stantem cum ingẽti multitudine pro tribunalibus cõnexum, & uerum æstimans quod finxerunt inimici, iniecta manu apprehendens uestimenta eius gutturi proxima, uidentibus omnibus, suffocabat eum dicẽs: Perdite & reprobe, gratia dei & misericordia eius indigne, quare uoluisti ad modicũ gloriari, & in æternũ perire? Quid tibi proderit aurum? Quid argentum? Nunquid liberabunt te de camino gehennæ? Dixit & alia multa. Cui maritus respondit: Quid pateris mulier? Quid tibi uidetur? Aut quid forte de me audire potuisti? Ego in nomine Christi catholicus permaneo, nec aliquando amittere potero, quod teneo. Vbi hæretici mendacij sui conscij, & detecti, fallaciam suam colorare minime potuerunt. Et quia superius de uiolentia immanitatis eorum breuiter diximus, hanc plurimi metuentes, alij se in speluncis, alij in desertis locis, uiri uel fœminæ nullo sibi conscio sese claudebant, & ibidem nulla ibi succurrente sustẽtatione ciborum, fame uel frigore uicti, contritum & contribulatum spiritum exhalabant. Inter hæc afflictionis incommoda, inuiolatæ secũ fidei

ſecuritatem portantes. Sic enim Creſconius preſbyter Miritanæ ciuitatis, in ſpelũca Quizenſis montis repertus eſt, putreſcente iam ſolutus cadauere. Et quia de ſancto Habetdeum præfati iam ſumus: Peruenit ad Carthaginem, adire cenſuit nefarium regem, ut conſcientiam ſuam, quã ſemper familiarem diuinitatis habuit & amicam, etiam hominibus faceret manifeſtam. Nec eum retinere potuit Antonius, propter uerecundiã ſuam. Offert impiſſimo regi libellũ in hac ſimilitudine uerborũ: Quid quæſo iam cum proiectis habetis? Quid cum eis, quos exilio relegaſtis? Quotidie diuitiarum ſubſtãtiam abſtuliſtis, eccleſijs, patria, domibus & priuaſtis, ſola autem remanſit anima, quam captiuare contenditis. O tempora, ò mores, uniuerſus hæc mundus intelligit, & ipſe, qui perſequitur, uidet: Si fides dicitur, quam tenes, quid ueræ fidei membra tantis perſecutionibus agitatis? quid uobis cum exilio noſtro? quid uobis cum egenis in ſeculo, quorum eſt uita ſemper in Chriſto? Liceat ſaltem gaudere conſortio beſtiarum eis, quos abieciſtis, à facie omnium populorum. Dum hæc & his ſimilia Pontifex dei dixiſſet, ſceleratus tyrannus hoc ei mandaſſe perhibetur: Va-

de ad episcopos nostros, & quod tibi dixerint, sequere, quia ipsi habere huius rei cognoscuntur per omnia potestatem. Sed neque Antonium hæc res ab insania potuit reuocare, scientem se magis imperio regis ob hoc multum placere. Habet deum uero episcopus, gaudens testimonio cōscientiæ suæ, ad locum exilij maluit remeare. Ea tempestate facta est incredibilis fames, & cœpit Africam totam una depopulatione uastare. Nullus tunc affuit imber, nulla prorsus gutta de cælo profluxit. Nec frustra, sed iusto iudicio dei, ut ubi persequētibus Arrianis cœnosi gurgitis aqua ignis & sulphuris bulliebat, indulgētiæ cælestis, quæ semper aderat, pluuia nēgaretur. Lurida remanserat terræ facies omnis. Non uitis tegebatur æstate, pāpineis opacata uirgultis, non sata resparsa, cultus cespitum uiridabat, non olea semper uiridis, foliŋsq; repleta iucūdi decoris sui cō suetum tegmen habebat, non pomorum uirgulta, maturante tellure, gemmas prōduxerant florum, postea fructus, ut assolent, reddituras. Tristia fuere, tristiaq; oia, & parspe stilentiæ & cladis Africam cōfuderat oēm. Non hominibus, non iumentis, germinātis herbæ ædiderat tellus omnino uigorē. Aruē

rant dudum currentis impetus præcipitati aluei, fluminum fontiumq; criſpantes perennitate ſubtracta, pariter ſiccauerant uenæ. Oues & boues uniuerſi, inſuper & pecora campi, ſimulq; beſtiæ ſyluarum, inedia cõſumente, nuſquam penitus uiſebantur. Et ubi forte germinoſus ceſpes, humida tũc in ualle locatus, pallentem potius quàm uirentem naſcentis fœni cœperat proferre colorem, illico urens & igneus flatus aderat, totũ torrendo deſiccans, quia puluerulenta tempeſtas, arido ſub aëre decoquens cuncta, oẽm nebulauerat locum. Nullũ geſtum eſt tempore illo cõmercium, nullum ceſpitẽ terræ, iuuencis trahentibus, ſcindẽs uertit aratrũ, quia nec boues ſupererãt, nec aratra uſquã omnino remanſerãt. Sed & ruſticorum manus alia interierat, & ſubinde quæ forte ſupererat, iam ſepulturã quærebat. Et quia urgente famis incõmodo neq; cõmercia, ut fati ſumus, conſuetudini, neq; cultura reddebatur debita terris, iuuenum, ſenum, adoleſcentium atq; adoleſcentularum, puerorũ etiam puellarum, agmina ſimul & funera, ubi poterant, quomodo poterant paſſim diffundebantur, circũeuntes oppida, uicos uel ſingulas urbes. Conuerſi enim in arcum prauum

& peruersum, atq; irritantes deum ad aquas contradictionis, famem patiebantur ut canes, non ut comederent panem, sed ut infensam sentirent Trinitatē, quam negauerant. Alij diffusi per campos, alij secreta syluæ petebant, antiquas radices herbarum, uel quisquilias aliquas inquirentes. Nonnulli cum domum niterentur ingredi, in ipso limine corruentes cæteruatim, fame debellante, cadebant. Strata uero uel semitæ cadaueribus repletæ, exhalantium fœtore mortuorum, gradientes uiuos ex omni parte necabant. Nec deerant quotidie ubiq; expirantium funera, & non fuerat uirtus, quæ miserationis impenderet sepulturam. Neq; enim sufficiebant ad sepeliendum uiui, fame dominante, & ipsi post paululum morituri. Cupiebant singuli libertatem suam, filiorumq; suorum in perpetuam seruitutem redigere, & non poterant inuenire. Montes & colles plateæ ciuitatum, uiæ uel semitæ unum omnibus fecerant sepulchrum, quibus inedia depascēs denegauerat uictum. Vandali autē ipsi quos & prius frequentia multarū prouinciarum spolia & retentio Africæ primo fecerat diuites, maiore magis inopia torquebantur. Et quanto sibi uidebantur seruorum aggestio-

ne ſuperbi, tanto amplius deficiebant, fame torquente defecti. Nullus filium, nullus coniugem, nullus proprium tenuit ſeruum, ſed exiens unuſquiſq;, non ubi uoluit, ſed ubi ualuit, aut ſtatim defecit, ut nunquam omnino rediret. Vrgebatur infelix multitudo ad ipſam urbem Carthaginẽ congregari, & dum adhuc cateruatim illic animata cadauera cõfluerent, ubi rex infandarum mortium uidit ſtrages, pelli urbe omnes illico iubet, ne cõtagio deficientium commune pararet etiam ſuis ſibi quoq; ſepulchrum. Suis ergo prouincijs & domibus ſingulos reuocari iubet, ſed nec erãt qui reuerterentur, dũ quiſq; utiq; ſepulturam ſuam in uultu portaret. Et cũ idcirco forte rebaptizatorum perditio potuit prouenire, quia dum promittitur ab Arrianis præſentis trãſactio uitæ, nec illud obuenit, & mors ſequens, primam, ſecundam præuenit, in tantum ſibi deuaſtans uindicauit fames dominium, ut loca nõnulla & admodum populis habitatoribus extinctis, alto nunc ſilentio parietibus ſolis extantibus, conquieſcant. Sed quid ego iam immoror in hoc, quod explicare non queo. Nam ſi nunc ſupereſſent, uel eis fari de reb⁹ uarijs talibus licuiſſet, & Tullianæ eloquentiæ fluuius ſic-

caretur,& Salustius elinguis omnino remaneret. Et ut alienos indignos rei tantæ præteream,si Cæsariensis surgeret Eusebius,ad hoc opus non esset idoneus, aut eius translator Græcæ facundiæ Latinæq; floribus Rufinus ornatus. Et quid multa? Non Ambrosius,non Hieronymus,nec ipse noster sufficeret Augustinus. Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem,quiq; terrigenæ et filij hominum simul in unum diues & pauper. Nonnulli, qui Barbaros diligitis, & eos in condemnatiõe uestra aliquando laudastis,discutite nomen & intelligite mores. Nunquid alio nomine uocari poterant, nisi ut Barbari dicerentur? ferocitatisitaq; uocabulum & crudelitatis & terroris possidentes.Quos quantiscunq; muneribusfoueris,quantiscunq; delinieris obsequijs, illi autem nesciunt aliud, nisi inuidere Romanis. Et quantum ad eorum attinet uoluntatem,semper cupiunt splendorem & genus Romani nominis obnubilare. Nec ullum Romanorum omnino desiderant uiuere,& ubi adhuc noscuntur parcere subiectis ad utendum seruitijsillorum parcunt. Nam nullum dilexere Romanorum aliquando: Si disputare nitebatur de fide nobiscum bar-

bara ferocitas,& hæresis Arriana rationabiliter disputaret. Sed quando tenuit rationẽ? quando à Patre deo,deum separat Saluatorem? Quare dolis & calumnijs gerunt,& uelut spiritus tempestatis procella sui furoris totum subuertere uoluerunt? Si disputatio necessaria Episcopalis,quare suspendia,quare ignes,quare ungulæ simul & cruces? Quare Arrianorum sempiterna proles cõtra innocentes, genera talia tormentorum inuenit,qualia nec ipse Mezentius exquisiuit? Dimicauit contra innocentiam furoris cupiditas,& auaritia crudelitatis, ut & animã perderet & substantiam arriperet. Si collatio desiderabatur, quare rapinæ rerum alienarum non tantum sacerdotum, uerũ etiã omnium laicorum? Sed illi expoliati lætati sunt, & rapinam rerũ suarum cum gaudio susceperũt. Adsit iam quæso omnis ætas, omnis sexus, omnisq; conditio. Adsit obsecro omnis turba catholici nominis, quæ gremio paterno toto orbe gestatur, quæ sola germanũ commendare nouit affectum, quæ didicit à Paulo magistro,& gaudentibus conlætari,& cũ lugentibus lamentari. Conueniant simul ad domũ nostri doloris, & paribus oculis fundamus flumina lachrymarum,quia causæ et

fidei nostræ unum est negocium. Nullum uolo mecum ad condolendum hæreticum conuenire, qui forte concupiscit addere super dolorem uulnerum meorum, & gratulatur quotidie malis meis. Nolo, nolo, non ego extraneum, sed fraternum habere affectum. Nolo affectum filiorum alienorum, quorum os locutum est uanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis, quia filij alieni supermentiti sunt mihi, inueterauerunt & claudicauerũt à semitis suis, dicũt mihi quotidie: Vbi est deus tuus? Dum affligitur populus, pretioso agni sanguine comparatus, inter quorum opprobria ego ad flagella paratus, non desisto cantare domino flagellato. Amoue à me flagella tua, quia defeci non à fortitudine manus tuæ, sed à persecutione hæresis Arrianæ. Adueniant mihi omnes, qui mecum angustum carpiunt iter, & propter uerba labiorum dei, uias custodiũt duras, & uideant, si est dolor, sicut dolor meus, quoniam uindemiata sum in die furoris domini. Aperuere super me os suũ omnes inimici mei, sibilauerunt et fremuerũt dentibus suis. Dixerunt: deuorauimus eam, en ista est dies, quam expectabamus, inuenimus & uidimus. Adestote angeli dei mei, qui nunquã

deestis, constituti in ministerio uestrō, propter eos, qui hæreditatem capturi sunt salutis, & uidete Africam totam dudū tantarum ecclesiarum cuneis fultam, nūc ab omnibus desolatam. Tantis ordinibus sacerdotū ornatam, sedentem uiduam & abiectam, sacerdotes eius & seniores in desertis locis & in insulis defecerunt, quærendo escas ad manducandum, & non inueniunt. Considerate & uidete, quia Syō ciuitas dei facta est uilis, facta est quasi polluta menstruis, inter inimicos suos. Manum suam misit hostis adomnia desiderabilia eius, quia uidit gentes inuadere & ingredi atria sua, de quibus præceperas, ne introirent Ecclesiam tuam, uiæ eius lugent, eò quod nemo conueniat in die festo. Egressus est à facie eius omnis decor eius, dicerunt uias asperas ambulare uirgines & iuuenes eius, in aulis educati monasteriorū, abierunt in captiuitatem Maurorum, dū lapides sancti eius disperguntur, non tantum in capitibus omnium platearum, sed etiā in locis squalidis metallorum, dicite susceptori eius, habentes fiduciam supplicandi, quando tribulatur, & uenter illius turbatus est à fletu eius, quia sedet inter gētes, & requiem non inuenit, nec est, q cōsoletur eam. Quæ-

ſiui à patribus Orientis, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & conſolantem, & non inueni, dum manducaret in eſca ſua fel, & in ſiti ſua potaretur aceto, ſponſi & domini ſui paſſiones imitando, qui idcirco paſſus eſt p ea, ut ſequatur ueſtigia eius. Deprecamini Patriarchæ, de quorum ſtirpe generis nata eſt, quæ nunc laborat in terris. Orate ſancti Prophetæ, cognoſcentes afflictam, quã antea uaticinando præconio cecinistis. Eſtote apoſtoli ſuffragatores eius, quam ut cõgregaretis uniuerſum orbem, aſcendente in uobis domino, ut equi uelociſſimi curſitaſtis. Præcipue tu Petre beate, quare ſiles pro oũibus & agnis, à communi domino magna tibi cautela & ſollicitudine commendatis? Tu ſancte Paule Gentium magiſter, qui ab Hieruſalem uſque Illyricum prædicaſti Euangelium dei, agnoſce, quod Vandali faciunt Arriani, & filij tui gemunt lugẽdo captiui. Vniuerſiq; ingemiſcite ſancti ſimul pro nobis Apoſtoli, ſed ſcimus, quia indignum uobis, pro nobis orare, quia iſta, quæ uenerunt nobis ad probationem, non quomodo ſanctis, ſed malis meritis ſupplicia debebantur. Sed & pro malis orate iam filijs, quia & Chriſtus orauit etiam pro inimicis Iudæis. Suffi-

ciant ad castigationem, quæ iuste illata sunt nobis. Iamiamq; delinquentibus uenia postuletur, dicatur angelo percutienti: Sufficit, iam cohibe manum tuam. Quis ignorat hæc nobis probrorum nostrorum scelera procurasse? Aberrantibus à mandatis dei, & in lege eius uolentibus ambulare, Sed prostrati rogamus, ut non spernatis uestros miseros peccatores, per eum, quiuos ad apostolicum culmen prouexit humiles piscatores. Tenuit sceleratissimus Hunerychus dominationē regni, annis septem & mensibus decem, meritorum suorum morte consummatus. Nam putrefactus & bullicns uermibus, non corpus, sed partes corporis eius uidentur esse sepultæ. Sicut ille legis datæ transgressor rex, quondam ut asinus sepultus est, ita iste in breui simili morte pernt.

FINIS PERSECVTIONIS AFRICAE.

IN DIVI VICTORIS HI

ſtoriam Ogdoaſtichon Reinhardi Hadamarij, ad Lectorem beneuolum.

Splẽdida nõ radiãt hoc ſimplice-y-ba libell
Dulcia nec ſuaui carmina pulſa cheli.
Hiſpida tẽporibus par eſt cultura maligni
Lugubres habitus æquiparare ſtudens.
Sic antiqua refert fidei monumẽta ,pbatæ.
Mirificum ueræ relligionis epos.
Nullius hic probitas, ergo quæſiuerit illu
Grandiſonis alij quod cecinere modis.